SUPPETIAE
EVANGELII PRAECONIBUS

QUI

MADURENSEM MISSIONEM

EXCOLUNT

PERAMANTER OBLATAE

AB EORUM SODALI

T. A. GALLO S. I.

VOL. IV.

ROMAE MDCCCLXXII.

ROMAE ET TAURINI
APUD EQ. PETRUM MARIETTI
TYPOGR. PONTIF.

SUPPETIAE

EVANGELII PRAECONIBUS

VOLUMEN QUARTUM

SUPPETIAE
EVANGELII PRAECONIBUS

QUI

MADURENSEM MISSIONEM

EXCOLUNT

PERAMANTER OBLATAE

AB EORUM SODALI

T. A. GALLO S. I.

VOL. IV.

De Matrimonio.

ROMAE MDCCCLXXII.

ROMAE ET TAURINI
APUD EQ. PETRUM MARIETTI
TYPOGR. PONTIF.

DE MATRIMONIO

Casus in tractatum de Matrimonio, eorumque resolutiones ad octo reducimus capita, quorum primum *sponsalia;* secundum *connubii promulgationes;* tertium *consensum in matrimonia requisitum;* quartum *connubia a Neophyto inita, in vivis adhuc agente coniuge ethnico;* quintum *Missionariorum officia quoad rudes vel concubinarios connubio iungendos, nec non quoad exquirendum a Sponsis consensum, eisque impertiendam benedictionem;* sextum *impedimenta connubii;* septimum *impedimentorum ablationem nec non connubii invalide initi instaurationem;* octavum *connubii usum* spectabit.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

CASUS

I. Contendebant haud ita pridem nonnulli, in regionibus hisce veri nominis sponsalia a veri nominis Indis vix unquam iniri, eaque ratione nite-

bantur, quod quemadmodum in iis, quae ad puellam in matrimonium petendam praestari sueverunt, vix quidpiam apparet, quod sponsalium speciem praeseferat, ita sponsionibus, quae de prole connubio iungenda fieri solent, parentes quidem obligari videntur non vero proles, quae idcirco liberrima censetur, quoad alias nuptias, dummodo utrimque parentes, qui de futuro prolis connubio pactum inierant, de re minime abnuant.

II. Ratio alia cur veri nominis sponsalia saepe admodum nulla in regionibus hisce, vel penes Christifideles, connubio anteire dicantur, in eo est quod proles cum spondetur, plerumque impedimento aliquo dirimente a connubio prohibeatur, obtenta vero dispensatione, ne cogitet quidem de renovando consensu in futurum connubium. Porro consensus huiusmodi renovatio, ad sponsalium validitatem plane requiri videtur.

III. Duos in concubinatu menses convixerant Regulus et Terilla secundo consanguinitatis gradu coniuncti, cum infamiae pariter ac nequitiae pertaesi, ad Missionarii pedes provoluti, paratos ad omnia se asserunt, dummodo impedimento sublato, legitimo tandem copulentur connubio. Missionarius precibus annuens, iubet eos invicem seiungi quoadusque fidei rudimentis satis imbuti connubium inire valeant. Illico separantur; sed Regulus mox novis inceptis amoribus, et quidem cum concubinae sorore, non aliam quam hanc in uxorem se ducere velle denunciando contendit.

IV. Petrum adolescentem, a nativitate surdum et coecum, parentes connubio iungere statuerant

cum Lucia puella, surda quidem et muta, sed visu praedita ac domesticae rei peritissima. En itaque peregrinum sponsorum par ad Missionarium deducitur, quem cum ancipiti animo haerere videant parentes, instanter rogant ut de connubio annuat. At enim, obiicit Missionarius, de Sacramento matrimonii et ceteris quae scitu sunt necessaria, vix quidem puella, nullatenus vero adolescens doceri possunt. Hisce reponunt secreto parentes, Petrum quid sit matrimonium plane nosse, palam ex iis fecisse quae cum puellulis plus semel agere visus est.

V. Septennium nondum attigerant Scipio et Marinula, cum eorum parentes eos invicem sibi spoponderant connubio postmodum copulandos; quod sane Indi facere consueverunt, ut uxores viris adolescentibus praesto sint, secus perdifficulter quandoque inveniendae. Sed en! vix decimum puer, octavum puella annum attigerant, cum parens uterque dissidii causa a promissis discedit, et prolem aliis spondere festinat. Quod sane resciens Missionarius, prioribus parentem utrumque promissis stare debere, saltem usquedum sponsorum alteruter ad pubertatis annos perveniat, contendit.

VI. In pago quodam familiae duae sibi invicem prolem ita spoponderant, ut mares unius cum alterius feminis, et vicissim, connubio passim iungendos esse pactum fuisset. Eo tempore in familiarum altera puer erat, in altera vero puella, qui tametsi ingenio praecoci, puella praesertim, praediti viderentur, pubertatis tamen annos nondum attigerant. Adolescente pubere effecto, puella vix duodennis evaserat, cum istius parens hinc

desponsati parentem nonnihil pertaesus, inde vero nuptiis a viro alio inter Christifideles eiusdem pagi ditissimo non solum oblatis, sed quadantenus nobilioris quo sponsa erat generis gratia, studiosissime flagitatis, illectus, fide mutata filiam viro copioso, nuptui tradere festinavit.

VII. Robertam vix duodennem avunculus, ut fere mos est in regionibus hisce, nuptui traditurum se adolescenti cuidam duodeviginti annos nato spoponderat. Sponsio tamen non adolescenti, sed eiusdem parentibus, qui pro eo Robertam in matrimonium petierant, facta est. At mensibus paucis elapsis, facti poenitens fidem mutat avunculus, et puellam alteri spondet; quamobrem Missionarius eumdem non parum increpat.

VIII. In pago quodam parentes adolescentis cuiusdam puellam pro filio in matrimonium petierant, quam cum is prima vice inspexisset, nec adamavit, nec in uxorem ducere intra se statuit. Quia tamen insolens prorsus est penes Indos in huiusmodi re prolem voluntati parentum obsistere, desponsari sibi puellam siverat, perinde ac assensum praeberet. At en! die ad connubium statuta, iam ad Sacellum convenerant cognati omnes sponsum utrumque pompa haud exigua deducentes, et munusculum, ut moris est, Missionario offerebant; cum adolescens pudibundus secreto dicere quidpiam Presbytero cupere se ait. Petitioni benigne Sacerdote annuente, adolescens dolens et tremens asserit, puellam sibi nequaquam placere, et ab ineundis cum ea nuptiis penitus abhorrere. Quid Missionario consilii? Undique an-

gustiae: hinc parentum et coniunctorum irae, inde pueri repugnantia.

IX. Regulus et Roncina aetate grandiores, nedum puberes, iamdiu connubio iungi flagitabant a Missionario, qui petitioni annuere differebat ob spem fore ut cognati nonnulli, qui cum huiuscemodi nuptiis assentiri penitus recusarent, dissensu suo contentiones et simultates citaturi sat communiter putabantur, tandem aliquando consensum praeberent. At Sponsi morae pertaesi absque Missionarii praesentia, eius tamen vice Catechista suffecto, domi coram cognatis et notis plurimis iniere connubium. Sexto vix mense ab huiusmodi nuptiis elapso, Regulus Roncinam deserit, et novis inceptis amoribus, cum alia connubium inire postulat, cui sane rei Missionarius nunquam se consensurum contestando denunciat.

X. Sponsalia ex parentum voto, consensione plenissima inierat Hippolytus cum Theodora. Paulo post Hippolyti parens uterque vita fungitur; ipse vero Theodorae nonnihil pertaesus, in locum profectus ubi decretum *Tametsi* Concilii Tridentini nequaquam est promulgatum, alias inibi contrahit nuptias; at uxore fere statim asiatico morbo correpta vitaque functa, in patriam revertitur, ibique ut Theodorae facta promissa impleat, a suis et sponsae cognatis non parum urgetur. Recusat. Quare Theodorae parentes de Hippolyto vehementer cum Missionario queruntur.

XI. Flagitant aliquando Christifideles, ut eis liceat caeremonias civiles connubii omnes (quas *mundi connubium vocant*, ut a connubio in fa-

ciem Ecclesiae inito probe discernant) sponsis qui puberes nondum effecti sunt adhiberè, absque intentione tamen ineundi connubium. Impuberibus sponsis caeremonias huiusmodi adhiberi, quemadmodum more penes ethnicos in regionibus hisce receptum est, ita Christifideles cupere solent ut de connubio postmodum ineundo, potissimam quam habere est in regionibus hisce certitudinem nanciscantur; quippe usus obtineat, ut semel expleto civili connubii ritu, puella nemini praeter eum cui ritu ipso desponsata censetur, nubere valeat.

XII. Moecenas et Agrippa, prior quidem tribu Pareas, et utpote Anglorum in regionibus hisce famulus huc illucque cum eis discurrens, alter vero miles indigena, et quoque fere triennio ex una in aliam stationem migrans, pluries connubium spoponderant innuptis puellis, ut eas de facili in malum pertraherent. Tandem die quadam peccatorum sarcinam ad pedes Confessarii depositum ierant, cum hic eorum gesta aure percipiens, vehementer animo angi coepit quoad sententiam ferendam de sponsalium obligatione quae sponsiones eiusmodi consequi censeatur.

CASUUM RESOLUTIONES.

Ad I. Quantum coniicere valeo ex his quae leguntur apud S. A. l. 6. n. 839. Missionarii, qui saeculo elapso regiones hasce incolebant, in ea erant sententia, quod veri nominis sponsalia, saltem penes Christifideles, ibidem contraherentur. Nec dubium in praesens, ut arbitror, de re hac

esse potest. Quamvis enim, ob receptum ubique morem, proles ad connubium non a se ipsa sponderi soleat, sed per parentes, qui promissis obligati censentur; attamen nemo est qui prolem ipsam, si cum desponsatam se esse norit consensum praebeat, promissis stare haud teneri arbitretur. Quamobrem ius alienum laedere plane censetur, si absque causa a sponsione resileat. Quod autem liberrima censeatur ad aliud ineundum connubium, modo utrimque parentes de re non abnuant, ex eo est, quod prolis consensus consensioni parentum adeo subiiciatur, ut lateat in eo conditio *quousque parens consensum haud revocet*. Nec tamen dixeris publicae honestatis impedimentum assensu illo contrahi nullum. Etenim eo ipso, quo proles sponsione utrimque facta et accepta vincitur, impedimentum oriatur necesse est. At enim: in iis quae ad puellam in matrimonium petendam atque spondendam fieri consueverunt, vix est quod sponsalium speciem praeseferre dicatur. Tametsi ritus in quo peculiariter reponi debeat sponsalium essentia, ut ita dicam, deprehendi non posset, tamen cum ex ritus totius complexu oriatur Sponsis de connubio futuro obligatio, eo ipso veri nominis gigni sponsalia, indubia res esset. Insuper ritu illo qui *parisam* nuncupatur, praesertim *betel* folio et areca nuce, ut mos est, distributis, plerumque sponsalia ita perfecte se habent, ut cum antehac integrum fuerit alias inire nuptias, posthac nequaquam liceat, nisi ex utriusque partis consensu. Adde tandem non raro catechistam ad sponsalium caeremoniam ita adhiberi, ut ea per-

acta, communis Christifidelium sensus, promissis stare parentes et prolem plane teneri testetur. Ceterum ut qua ratione sponsalia in regionibus hisce iniri soleant ediscas, en quae de eadem Episcopus Drusipparensis Vic. apost. Pudiceriensis scripto retulit an. 1837 ad S. Congreg. P. F. « Modus promissionis matrimonii contrahendi in hac regione ante omnia prae oculis habendus est. Nullum est scriptum: quando enim agitur de matrimonio in omnibus his tribubus, parentes partium (non autem partes seu contrahentes) statutis matrimonii conditionibus inter se et coram consanguineis et testibus, dant et accipiunt folia vulgo *Vettilei* et nuces vulgo *Paccu,* quae Indi cum calce miscentes quotidie et saepe saepius in die mandendi consuetudinem habent, atque dicunt: Vos omnes hic adstantes hac de re testes estote: Nos Bertam, filiam T... in matrimonium daturos esse filio F... nomine G... Ad hanc caeremoniam non vocantur sponsi, nisi sint in domo. Supradictus agendi modus pro promissione matrimonii in usu est apud omnes tribus, etiam apud Parcanos, et ab omnibus Indis habetur tamquam matrimonii promissio, a qua non est resiliendum, nisi propter rationes gravissimas. » Addebat praeterea Illm̃us Episcopus, sibi probari recentiorum Missionariorum sententiam, qui contra Episcopum Halicarnassensem et alios, in huiusce generis sponsione, ex more generatim recepto, veri nominis deprehendi putabant sponsalia. Quod sane S. C. nullatenus improbavit. Huc etiam refertur quod Episc. Iassensis et Vic. ap. Maysurensis non ita pridem

a S. C. quaerebat; num scilicet sponsalia a parentibus, prout in regionibus hisce more receptum est, pro filiis inita, veri nominis sponsalia censeri possint? Cui quaesito S. O. an. 1866 reposuit dandam esse instructionem anno 1779 de simili re transmissam ad Vic. apost. Sutchuensem. Cuius en tibi summa: – 1. Commemoratur canonica lex, qua statuitur, sponsalia ab infantibus, vel pro infantibus irrite iniri: ab impuberibus vero firmiter quidem, sed ita ut pubertate adveniente rescindi valeant. – 2. Significatur puellam impuberem tradi non posse nutriendam parentibus eius cui fuerit desponsata, nisi probo cuipiam alteri tradi nequeat, et proxima peccandi occasione praecisa. – 3. Probatur a Sutchuensi Vicario lata lex, qua parentes prohibentur, quin sponsalia absolute pro filiis rationis usu carentibus ineant, vel ulla ratione cogant filios suos ob sponsalia sic inita; iubentur autem sponsalia rescindere cum infidelibus inita, vel si id nequeant, se promissis stare paratos ostendere ea conditione dumtaxat, ut super cultus disparitate fiat dispensatio.

Ad II. Casus iste triplici habere se modo potest. Primum: cum absolute i. e. absque dispensationis petendae animo fiunt desponsationes. Deinde: si contrahatur cum disponsationis animo et spe. Postremo: cum sponsioni conditio accedit explicita: *Si Pontifex dispensaverit.* — Si primum (quod sane contingere posse lugenda novimus experientia quorumdam, qui ea erant mentis pervicacia, ut cum certas in animo sibi nuptias proposuissent, spondere et nubere non verebantur, etiamsi super

impedimento dispensationem haud consecuturos se arbitrarentur), sponsalia nulla plane esse, vel quia stante impedimento personae sunt inhabiles ad matrimonium inter se contrahendum, ideoque etiam ad semetipsos obligandos ad illud ineundum, prout non pauci ratiocinantur, et optime quidem; vel, ut aliis placet, quod contracta fuerint de materia non licita, utpote quae per canones sacros prohibita. Quare, nisi consensus post dispensationem obtentam, denuo renovetur, sponsalia nulla esse atque nulliùs generis obligationem parere posse dicenda sunt. Si alterum accidat, vel sponsionem comitatur contrahendi propositum, etiamsi dispensatio minime obtineatur, quod ea perinde ac adventitium quidpiam nec admodum necessarium existimetur, qui sane casus priori simillimus est; vel voluntas est recedendi a sponsalibus si dispensatio concessa non fuerit; vel quae sit spondentium mens, incerta res est. Si postremum hoc accidat, voluntatem recedendi non defuisse putandum est: nemo enim censetur malus nisi probetur. Quod si recedendi voluntas non defuit; quo sane modo casus in regionibus hisce plerumque se habere videntur; voluntas haec explicitae conditioni *si Pontifex dispensaverit* par dicenda videtur. Quamvis enim suapte natura lateat, ex communi tamen agendi modo, atque ex communi sponsionum in hisce rerum adiunctis interpretatione, sat explicari videtur. Quid ergo tandem si explicata conditio fuerit? Tres sunt in huiuscemodi casu Doctorum sententiae. Prima est eorum qui volunt sponsalia, nullo penitus sub

respectu, obligandi vi praedita esse, ideoque ut valida fiant requiri non solum dispensationem, sed consensus quoque renovationem. Alia eorum est qui tenent sponsalia ante obtentam dispensationem, tametsi vera sponsalia non sint, plane tamen inducere obligationem expectandi conditionis eventum, ita ut eadem impleta, sponsalia valida evadant absque novo consensu. Media tandem, quae vero, saltem quoad mentis intuitum, propior videtur, ea est qua statuitur, ante conditionem impletam nullam quidem existere obligationem, sed conditione executa, si antea sponsi dicta non revocarint, ut sponsalia valida evadant, nulla ratione requiri consensus renovationem. Prima huiusce sententiae pars ex eo conficitur quod obligatio haec incerta penitus sit, tum quia eius inficiatores numero et nomine multi non desint; tum quia Sacra Congregatio quae in Ianuensi, Brugnatensi, Sipontina et Milevitana, de sponsalibus huiusmodi iudicium edidit, sententiam in eius favorem semper tulerit qui a consensu recesserat ante conditionem impletam. Altera vero pars duobus nititur argumentis, negativo altero, altero positivo. Negativum in eo est quod praedictae S. Congregationis declarationes de consensu instaurandi necessitate nec loquantur quidquam, nec innuant (quidquid latinae ephemerides Romae editae et inscriptae *Acta excerpta* etc. vol. I. p. 79-81. et alibi in contrarium asserere videantur). Argumentum alterum ex eo desumitur quod conditio *si Papa dispensaverit,* conditio sit honestissima non vero turpis, prout adversarii

contendunt. Humanae enim naturae, quae singula satis praenosse nequit, plane congruum est, nedum turpe minime sit, dispensationem concedi, quae tamen nulla ratione *spondetur*. Num turpe fuerit si illegitime natus, qui vovit, puta, Missionibus inter ethnicos operam se daturum, denique tandem dispensatus ad Sacerdotium evectus sit? At enim: auctores numero et nomine multi oppositae inhaerent sententiae: obligatio itaque incerta, sponsalia nulla, nisi instaurato consensu. Extrinsecae probabilitatis conflictu spectato res ita se habet, idque, praxim quod attinet, magni plane momenti est. Si enim dispensationis obtentae notitia ad sponsalium validitatem necessaria habeatur, obtenta dispensatione, integrum sponsis esse a sponsione recedere, ideoque absque renovato consensu, publicae honestatis impedimentum oriri nullum, indubia res est. Hancque sententiam in praxi tenendam esse ex eo magis magisque firmatur quod Sacra Congregatio eam ut propriam adoptarit, ideoque sine renovato consensu sponsalia nulla esse, nullumque ex eis honestatis impedimentum oriri tuto prorsus doceri, extra dubii aleam positum esse censendum sit.

Ad III. Terilla Regulo nubendi iure sponsalibus parto, nullatenus gaudet; quippe dispensatione nondum effecta, sponsalia nulla prorsus censenda sint. Attamen huiuscemodi ius ex alio capite, ob iniuriam nimirum sibi illatam, nec aliter quam connubio probe sarciendam nancisci potest. Insuper in huiusmodi rerum adiunctis, gemina alia de causa plerumque operae pretium est, ut Mis-

sionarius Sponsos hortetur ne a promissis resiliant, et difficiliorem se praebeat ad impertiendam dispensationem; tum quia nimirum agitur hic de impedimento multiplici seu cumulato, tum quia sorores animo invicem alienatum iri sponte veluti sua consequitur.

Ad IV. Sanchez de matr. (l. 1. disp. 28. n. 13.) docet « surdum et coecum, qui nec verbis nec signis aliis quid sit matrimonium edoceri possit, eum plane esse qui neque sponsalia neque connubium inire valeat. Nullum enim sensibile signum edere valet quo exprimat in quamnam rem consentiat, et cuiusnam consensum acceptet. Hoc aliter se habet quoad surdo-mutum non coecum.» Quid itaque si solertia omni, quoad eius fieri possit, adhibita ut surdus et mutus, sed visu valens, quid sit matrimonium edoceatur, nulla ratione certum sed verisimile tantum evadat ab eo rem intelligi, saltem quoad Sacramenti nec non ligaminis haud solvendi, naturam? Connubio, ut arbitror, locus non deest. Nam formalis profanationis periculum omne abest, et aliunde aeternae surdomuti saluti hac ratione eo meliori modo quo fieri potest prospici indubia res est. An id rei mali speciem praeseferre putaris, magis quam potestas dubie impotenti facta experimentum sumendi cum femina forte non sua? Notes tamen velim quae cum puellulis agere visus est adolescens, carnis instinctum quidem prodere, sed notionem de matrimonii natura non satis ostendere.

Ad V. Sponsalia sive inter infantes, sive a maiori pro infante contracta, lege tum naturali

tum ecclesiastica pro infectis habentur, ideoque publicae honestatis impedimentum ex eis oriri non potest. Deliberationem quod spectat, ut sponsalia valide iniri queant, requisitam, satis eam esse, quae ad peccandum mortaliter sufficit, affirmat Sanchez, negat Bonacina. Sententiam utramque haud aegre forte conciliaveris si dicas, parem utrobique sufficere mentis advertentiam: quia tamen ad subeundam sponsalium obligationem prudens deliberatio et advertentia difficilior est, quam ad peccatum cavendum; quippe plura in illo quam in haece deliberanti menti rerum adiuncta obversari necesse sit, maiorem sponsalia postulant iudicii discretionem. At enim: cum in casu sponsus uterque septennium iamdudum excesserit, sponsalia a parentibus inita, rata habere censetur. Si parentum promissa positiva ratione rata habita fuissent a Sponsis impuberibus quidem, sed sponsalium obligationi subeundae haud imparibus, Scipioni et Marinulae, pubertatem nondum adeptis, a promisso discedere haud integrum esset. At quemadmodum plane dubia res est in casu, num desponsati septennio completo ea valeant ingenii vi, quae ad tantam obligationem sumendam requiritur, ita plerumque in huiusmodi rerum adiunctis proles antequam pubertati plane proxima sit, vix alia ratione quam negativa habere se consuesse videtur in regionibus hisce, quoad parentum promissa. Perperam itaque Missionarius parentes ne a promissis recedant deterret. Ceterum ut unum nec leve addam quod infantium sponsalia spectat, dicam S. Congr. S. O. Vicarium apost. Sutchuen. laudi-

bus prosecutam esse anno 1780, quod prohibuisset christianis parentibus ne absoluta ratione sponsalia pro infantibus inirent. Ubilibet vero Missionariis debitum esse non dubito, quoad eius fieri possit conari ut infantes in connubium haudquaquam despondeantur. Huiuscemodi enim sponsiones et connubiorum exitum malum habentium, et praecoci ratione in puerorum et puellarum mentibus citatae luxuriae, et ob varias in praxi innumerasque fidem deinceps frangendi causas, iurgiorum et simultatum seminaria saepe admodum esse, lugenda novimus experientia.

Ad VI. Quanam vi huiusce generis promissa polleant quoad infantes rationis usu carentes, et quam ea noxia sint, ex his, quae ad casum proxime antecedentem ediximus, patet. Impuberem, sed rationis usu praeditam, prolem quod spectat, sponsalia a parentibus inita, Ecclesiae lege valida sunt, modo proles tacite saltem et positive consentiat. Quamvis enim in foro externo ideo satis sit eis minime contradicere, quod id consensus praesumptionem parere videatur, tamen, ut supra innuimus, in foro conscientiae id satis haudquaquam censetur. Imo si praeter parentes eorumve mandatum, alius quispiam filiis notam faciat sponsionem, neque in externo sufficit foro si non contradixerint; nihil est enim cur si reclamare forte velint, dissensum suum penes alium, praeter parentes, exprimant. Ceterum impubes, qui vel per se vel per alium sponsalia valide inierit, ab eis, priusquam pubertatis annos attigerit, resilire non potest. Mox tamen ut pubes evadit resiliendi

iure potitur, minime alio expectato. Tempus quod spectat ad resiliendum concessum, non mathematica sed morali ratione ita constituendum videtur, ut signo consensionis nullo interim praestito, prima cum se praebuerit occasio qua, recepto more, vel expresse vel tacite nuptiis assentiri se palam ostendere censeatur, ab eisdem discedere se signo aliquo, puta sponsi domum adeundi vel sponsum ipsum eiusque necessarios alloquendi renutu, plane declaret. Quae cum ita sint, casum quod attinet, sponsalia, de quibus est quaestio, valida initio fuisse, incerta, ut puto, res est; quippe impuberum istorum voluntas in huiusce rerum adiunctis saepe admodum negative habere se videatur. Insuper haud raro accidit, ut vel parentes ne moneant quidem de sponsionibus prolem, vel proles a dissentiendo, reverentiali parentum timore deterreatur. Tandem, ut supra innuebam, prolis consensus re probe perpensa, aliter nec habere se nec haberi posse plerumque quam sub tacita conditione, si et quousque parens consenserit, certa res est. Quamobrem cum postremum hoc prolem, dum a promissis una cum parente discedit, insontem efficit, tum reliqua satis ut arbitror sunt, ut honestatis publicae impedimentum ex sponsalibus nonnisi dubia ratione exoriatur. Nec tamen putandum est Missionario, parentibus, qui hocce modo a promissis recedunt, nullatenus succenseri debere. Quemadmodum enim promissa violans alterutrius sponsi parens, non raro graviter peccat, quippe proles ad nutum eius plerumque regatur, ita fracta fides saepissime causam infert dissidiis,

iurgiis et simultatibus, cum ingenti animarum pernicie.

Ad VII. Tametsi ecclesiastica lege statutum sit parentes pro filiis puberibus et impuberibus valide inire posse sponsalia, tamen cx communissima DD. sententia, parentum nomine unice veniunt pater et mater, non autem tutor et curator aut quivis alius consanguineus seu cognatus, nisi ad huiusmodi rem parentum mandatum habeat. Etenim, quod alius pro alio minime dissentiente de nuptiis in futuro spondere possit, ex iuris oritur positivi, naturale ius veluti restringentis, dispensatione, quae ultra casum in iure expressum extendi non debet. At enim: is qui obtinet in regionibus hisce mos, nonne parentum mandato aequipollere videtur? parentes enim de huiusmodi re concupiscenti plerumque animo assentiri contingit. Ut res ita se habeat, tacitus parentum in id rei consensus satis esse debuerit ad prolis sponsalia per alium quempiam valide ineunda. Falsum hoc; ergo et illud. Quamobrem tametsi Missionarius optime se se gerat arguendo, obsecrando, increpando, in omni tamen patientia et doctrina, puellae avunculum, quia fortasse cum absque causa, tum cum iurgiorum et simultatum periculo plane gravi fidem mutavit; ex eo tamen quod sponsalia fregerit, perperam improbatur avunculus, quippe nulla fuisse censenda sint si puellam in ea consensum penitus ac positive adhibuisse minime certum existat.

Ad VIII. Sponsalia, de quibus est casus, plus uno capite nulla fuisse videntur. Primo quidem,

quod adolescens assensum eis adhibuerit unquam, dici non potest. Deinde reverentiali erga parentes et alios sanguine iunctos timore, nc contradiceret prohibitus esse videtur. Quid quod metus levis ex DD. plurium sententia, S. Alphonso quidem probabili, aliis autem non paucis probabiliori, satis est ut sponsalia irrita sint? Etenim lex naturalis cum ius suum cuique sartum servari, tum si forte laesum fuerit in integro denuo restitui iubet. Nec valida sed rescindibilia, levi timore inita sponsalia dixerim, quippe mihi valde probetur eorum sententia, qui docent et nullum esse contractum, qui nullam parit obligationem, et nullam penitus esse veri nominis obligationem, quam quis pro lubitu excutere potest. Quare adolescens ob sponsalia improbandus non est. Imo re omni probe perpensa, laudibus, ut opinor, est cumulandus, quo facilius ediscant filiifamilias et audeant, sin minus parentibus, Missionario saltem notum efficere si forte aversentur nuptias sibi a parentibus praestitutas. Parentum et cognatorum iras eo meliori modo quo fieri potest praevertere vel placare studeat Missionarius, quod sane facilius saepe quam fieri posse putet praestabit, modo arguat, obsecret, increpet quidem sed in omni patientia et doctrina. In casu, de quo est sermo, res adeo bene cessit ut sanguine iuncti, audita Missionarii sententia, tametsi rem haud parum moleste ferrent, tamen eodem die, ne dicam eadem hora, adolescentem alium, ex puellae, nedum cognatorum, consensione plenissima, alteri subrogarunt; cui sane rei ob peculiaria tum loci tum per-

sonarum adiuncta probe potuit, ut arbitror, Missionarius annuere.

Ad IX. Si praeter Sacerdotis absentiam, impedimento quopiam alio dirimebatur connubium, clandestinae nuptiae, etiamsi copula intercesserit, ne sponsalium vim quidem nactae dicendae sunt, quod ex dictis ad casum II satis apparet. Si vero nullum a clandestinitate distinctum impedimentum dirimens obstiterit, in locis illis quidem ubi Tridentina Synodus quoad clandestina connubia non viget, quod initum est, non sponsalium sed veri matrimonii vim habet. Alibi vero matrimonium, de quo est casus, sponsalium vim saltem obtinere docet Sanchez l. 1. disp. 20 et 21. n. 2 et 7. dummodo contrahentes animum habeant eo se obligandi meliori modo quo possunt, qui sane animus Regulo et Roncinae non defuisse videtur. Et si quaeras, quinam ad rem hanc animus requiratur? Mentis intentio exterius haud patefacta non sufficit. Plane requiritur ut complectatur promissum obligationem sponsalium inducens, idest, prout Wex. a Schmalzgrueber (lit. de spons. n. 9.) citatus promissi huius conditiones describit: promissio sit *mutua, acceptata, signoque sensibili expressa.* Attamen melius immo optime et vere Alasia de Sacram. Matrim. diss. unica c. 19. art. 12. n. 2. « Matrimonia clandestina, ait, quum sint nulla tum in ratione Sacramenti, tum in ratione contractus, non transeunt in sponsalia, nec ullam pariunt obligationem naturalem, etiamsi his accesserit iuramentum: ita quoad singula Congregatio die 8 Iunii an. 1595. » Congregatio hic ci-

tata est Congregatio Concilii quae statuit: « Matrimonium sine praesentia Parochi per verba de praesenti contractum, etiam copula subsecuta, et irritum et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi.» Habetur porro istiusmodi resolutio in l. 8. Decretorum p. 130. Ad illud vero quod obiicitur habetque se ad instar adagii in iure: « Si actus valere non possit eo modo quo agitur, valere saltem debet eo modo quo potest, » resp. locum id non habere quando actus est nullus ex defectu formae, quae dat esse rei, prout ait Abbas Panorm. in cap. *Cum super de officio et potestate iud. delegati.* Unde Bened. XIV Inst. 46. n. 23. « Certissimum, ait, atque tutissimum est matrimonia quae absente Parocho ac sine testibus inita, per Tridentinum Concilium abrogantur, in sponsalia minime transire, quemadmodum Sac. Cong. statim ac instituta fuit, nempe paulo post absolutam ipsam Synodum ad hanc usque diem constanter declaravit, quod etiam Theologi, et Canonum interpretes unanimi consensu semper probarunt.»

Ad X. Equidem mihi longe probabilior est Doctorum sententia, qui connubio sponsalia prius cum alia inita omnino dissolvi docent; re siquidem obligationi prius obnoxia in statum alium transeunte qui non quidem ob impotentiam accidentalem, excusationem habeat, sed suapte natura obligationi illi repugnet; obligationem eiusmodi non suspendi sed prorsus extingui, commune iuris principium est (vid. Cuiac. in leg. *Si stipulantem* 88. §. 5. ff. de verb. obl.): atqui matrimonium cum suapte natura indissolubile est, tum sponsa-

lium cum alia obligationi repugnat. Num servus libertatem adeptus peculiari ulli subiicitur obligationi, qua tenebatur in servitute, etiamsi in servitutem recidat? Ex quo sane videre est, cur votum religionis aut castitatis, dispensatione super illud minime obtenta, in viduo reviviscat; cum e contra sponsalia voto religionis aut castitatis perpetuae ita vim omnem amittant, ut neque facta super illud dispensatione reviviscere valeant. Attamen quia in quaestione hac DD. vehementer invicem dissident, Missionario in foro quidem conscientiae nec adigere viduum ad pristinam illam promissionem implendam, nec sponsam a iure suo proseqnendo prohibere licebit; in foro autem externo tametsi nec vidui repulsam arguere, nec sponsae querelas excludere possit, plerumque tamen controversiam ita dirimere connitatur, ut viro nullatenus ad minus gratum connubium coacto, pax inter dissidentes concilictur muneris vel munusculi oblatione, si obligatio nulla restitutionis prorsus appareat; vel veri nominis compensatione si ob fidem ab Hippolyto proditam, Theodorae detrimentum obvenerit. Hippolyto enim favemus non propter fraudem, sed propter naturae ius, quod quemadmodum fidem mulieri obstrictam relaxat, ita a connubiis, quae malum exitum habitura praenoscuntur, cavere praecipit.

Ad XI. Equidem Presbyteri Goanam iurisdictionem sectati, huiuscemodi morem ratum habere sueverunt. Quamobrem non solum goani, schismate pervigente, christiani plures, praesertim ex tribubus *Callers* et *Cammalers* vocatis, a conver-

sione deterriti sunt ob nostram moris huiusce repudiationem, sed nostrorum nonnemo quandoque a sacramentorum participatione in praesens quoque arceatur necesse est ob miram in more hoc retinendo animi pervicaciam. Qua porro ratione hac in re se se gesserint qui saeculo elapso regiones hasce primi incolere coeperant Verbi Dei praecones, nosse si cupias, scito eos, teste Episcopo Lainez (in ea quam a. 1706 Pont. Summo obtulit deprecatione), consuesse permittere nostris ut tesserae coniugalis monile puellae nondum puberis collo appenderent, quoties necesse erat ne puellam christianam propinqui ethnici, pro eo quo ex regionis consuetudine gaudent iure, ad libitum viro ethnico desponderent. Cohabitationem tamen sponsorum omnem ante connubium districte vetabant. Quae cum ita se habeant pronum est quaerere, quid ergo causae fuerit, cur suscepta iterum Missionis huiusce cura, de civili connubii ritu sponsis haud puberibus adhibendo prorsus abnuere statutum in animo atque deliberatum huc usque habuerimus? Quatuor praesertim in causa decreti fuere. Primum: ne si ritus civilis Ecclesiae ritui anteire sinamus, Christifideles passim et pedetentim hocce, sin minus despecto, at certe in honore non satis habito, priorem illum praecipua ratione suspiciant. Deinde: ne puellam alendi onus, ritu civili peracto, sponsi parentibus iniunctum adeo censeatur, ut cum ab eisdem non aegre suscipiatur, tum sponsorum ante connubium, prout penes ethnicos obtinet, cohabitationem facillime secum trahat. Accidit insuper quod ritu civili peracto

sponsa indissolubili quadam ratione, perinde ac sponsi dominio acquisita haberetur, ideoque iste de facili quoad eam liberius quam par esset, habere se posset, qua sane re libidinis sensus in utroque citatus existeret. At huiuscemodi ritum ante connubium in faciem Ecclesiae initum prohibendi, grave praecipue rationis momentum in eo est, quod puella non raro sane vidua prius quam uxor evaderet. Is enim regionis mos est ut semel ac tessera maritali puella donata fuerit, vidua censeatur, si sponsus, etiam infecto connubio, vitae nuncium remittat, atque prout tribus nobiliores in more habent, caelibem ducere vitam perpetuo cogatur. Quid ergo? Nulla ne fuerint rerum et personarum adiuncta, in quibus Ecclesiae ritui ritum civilem anteire unquam praestarit? Praeter eventum periculi subeundi vel christianae puellae ne ethnico viro despondeatur, vel ethnicae ne conversionis connubio causam amittat, aliud in praxi vix esse posse videtur cur a praestituta, in huiuscemodi re, agendi ratione merito discedamus; praesertim cum si alia quam plane gravissima secus agendi causa, vel semel moveri nos unquam contingeret, Christifideles efflagitatu Missionarios obtunderent. Geminum itaque casum praefatum, eum plane esse arbitror, quo in praxim deducere tuta conscientia possimus quae S. C. P. F. a. 1801 responso transmiserat ad Missionarios Sutchuenses, qui sequentia ad eamdem retulerant. « Aliquando, etiamsi Sacerdos adsit in loco, non potest tamen ab eo recipi benedictio, antequam adhibeantur ritus civiles matrimonii. Quaeritur an in isto casu licite possint Sponsi suspen-

dere consensum suum de praesenti ad evitandum vitium clandestinitatis; ita ut exercendo caeremonias publicas et consuetas solummodo intendant confirmare sponsalia vel sponsam traducere in lectum vacuum, non autem verum matrimonium contrahere, nisi cum postea Sacerdotis benedictionem suscipient? » Ad quae Sacra Congreg. P. F. respondit: « Detur instructio S. M. Bened. XIV. in lit. ap. diei 17 Novembris 1746. » In ea vero instructione dicitur: « Cavendum ne... sub tecto communi habitent (Sponsi) nisi se prius veris et legitimis nuptiis.... obligaverint.... Id saltem prae viribus satagite, ut postquam reipublicae morem illi gesserint, non diu differant Ecclesiae legibus parere... et coniugale foedus rite et sancte inire.»

Ad XII. De huiusmodi secretis sponsionibus apud Indos, en quae an. 1839 relata fuerint ab Episcopo Drusipparensi ad S. C. P. F. « Promissionem matrimonii, quam secreto et absque testibus, partes reciproce sibi fecerint in ista ora coromandelica, pro nihilo reputandam Indi censent, et revera pro nihilo reputant. Atque etiam illam in Tribubus bene ordinatis locum habere non posse generaliter contendunt, ex eo quod partes ante matrimonium inter se colloqui non debeant; quinimo puella quae videt sponsum debet statim velare faciem suam, et ab illo quasi aufugere. Unde promissio secreta matrimonii a sponsis facta nullius momenti ab omnibus aestimatur.» Addebat praeterea Illmus Episcopus ex communi omnium, uno excepto, Missionariorum sententia sponsiones huiusmodi veri nominis sponsalia ne-

quaquam efficere. Quam sane sententiam S. C. nullatenus improbavit.

Casum quod attinet, veri nominis sponsalia ne cum prima quidem cui sponsio facta fuerit, inita esse censeri debet, nisi virum quaenam fuerit sponsalium obligatio probe novisse, eamque subire velle plane in mente habuisse, indubia prorsus ratione constet.

CAPUT II.

DE CONNUBII PROMULGATIONIBUS.

CASUS.

I. Matrimoniorum promulgationes, non solum in locis iis in quibus Tridentina Synodus promulgata habebatur, sed alibi quoque ubi Synodus ipsa iamdudum vigebat, prorsus omittebantur, quoad eorum connubia qui loca alia incolebant. Tacitus Missionarius id more receptum spectans, tametsi res haud sibi arrideret, usui tamen se accommodare non dubitabat.

II. Cum in Indica quadam Missione Tridentina Synodus, quoad clandestina connubia, iamdudum vigere, in ora saltem maritima censeretur, non vero quoad regiones alias; connubiorum promulgationes praesertim faciendi gratia, dubitatum est aliquando, quam procul ab ora ipsa urbes et pagi litorei censeri deberent. Quod sane dubium nonnulli ita solvebant ut regionem litoream ne milliario quidem procul ab ora protendi festive dicerent.

III. In regione quadam quorum incolis decretum *Tametsi* Tridentinae Synodi promulgatum

censetur, Curiolus Missionarius tria sequentia connubia Christifidelium ex alio Vicariatu, ubi lex illa vigebat venientium et uxores ducentium puellas ad Curioli iurisdictionem spectantes, in Sacello quidem suo vulgari curavit, sed alibi praenunciari nequaquam exegit. Primum erat agricolae, qui patria relicta, paulo ante illuc migraverat. Aliud Iudicis, qui decem menses munus ibidem egerat, ea tamen mente ut semel saltem in anno in patriam unde venerat redux, ibidem mensis unius spatio commoraretur. Postremum denique mercatoris qui aeris alieni causa, anno plus minus uno, ibidem extorris immorabatur.

IV. Leucherio Missionario bis accidit ut perperam omissis promulgationibus connubio interesset. Alia quidem vice, quod regionis idioma non satis callens, sponsos putavit asserere se ex loco esse ubi Tridentina Synodus nondum promulgata censetur, alia vero quod Catechista a Sponsorum parentibus pretio corruptus, eos regionis Tridentina lege vacantis incolas esse falso testatus fuerat. Utraque autem vice contigit ut paulo post initas nuptias, dirimens connubiorum illorum cognationis impedimentum detegeretur. Quamobrem Missionarius ne ex ea re scandalum oriretur, pro ea quae ad huiusmodi impedimenta tollenda facta sibi fuerat potestate, dispensationem largiri summopere festinavit.

V. Promulgationes factae fuerant connubii cuiusdam, quod casu accidit ut nonnisi tertio mense ab ultima promulgatione perfici posset. Missionarius ritualis romani praescripto morem sedulo ge-

rens, promulgationes omnes repeti iubet, Sponsis eorumque cognatis magnopere stomachatis.

VI. Anguntur Missionarii non pauci quoad retegenda connubiorum impedimenta, quod cum cognationis gradus multiplices, hoc est numero plures haud raro uni eidemque obsint connubio, tum ob inscitiam quandoque, quandoque etiam ob nequitiam parentum et Catechistarum, aliquando vero ob Missionariorum haudquaquam eximiam linguae peritiam, fere impossibile sit impedimenta omnia suspicari, nedum detegere. Missionarios nonnullos audivi de re hac asserentes, plane operae pretium esse, si ea nos induamur perpetuo mente, ut nota pariter et ignota impedimenta, quoad eius fieri possit, auferre dispensatione velimus. Alii vero in ea erant sententia, postulandum nobis omnibus esse a Pontifice Summo ut tertius et quartus saltem consanguinitatis gradus Indis nubendi amplius impedimento non sint.

VII. Severinus cui a connubiorum praenuntiatione Sponsos quandoque eximendi facta est potestas, dispensare detrectat, nisi aliter grave, et quidem a Sponsorum voluntate independens, damnum immineat. Quamobrem vehementer Benigno, in vinea Domini cooperario, succenset, quod saepe admodum promulgationes remittat, dummodo Sponsi poenam, more in Missione recepto, pro huiuscemodi re subeundam, dare nequaquam recusent.

CASUUM RESOLUTIONES

Ad I. Duo quae casus narrat distincte persequamur necesse est: aliud est enim connubia publice haud proponi ubi Synodus Tridentina promulgata non est; aliud vero non praenuntiari, ubi viget, illorum connubia qui inde sunt ubi non viget. Primum quod attinet, promulgationes ex Tridentini praescripto fieri, ut patet, necesse non est. Promulgatio tamen facienda superest a Concilio Lateranensi praescripta, quod monet Benedicti XIV Breve *Paucis abhinc*, hisce verbis: « Quod si Missionarius obiiciat Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse ut bene percipiat, quod si onus eiusmodi (denuntiationes promulgandi) repetere ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest quin illud fateatur ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. » Re sane vera Tridentina Synodus Lateranensis praescriptum in re hac firmavit quidem et auxit, sed nulla ratione abrogavit. Scias tamen velim Lateranensi praescripto tria statuta esse: unum, matrimonia, cum ineunda sunt, publice a Sacerdote in Ecclesia proponi; alterum, terminum praefigi, intra quem impedimenta deferri debeant; tertium, si probabilis coniectura apparuerit impedimenti, connubium interdicendum, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Ex quibus sane videre est, tum unicam satis esse connubii promulgationem, tum ubi Sacerdotes non sunt, Lateranense prae-

scriptum haudquaquam urgere. At enim: nec ibi servatur ubi Sacerdos adest. Fortasse quod hinc regionis huiusce more vix unquam ineatur connubium quin sanguine iuncti tribules, qui fere soli impedimenta, si quae sint connubiorum nosse atque retegere solent, de re certiores effecti sint, quod sane bannorum vices implere potest; inde vero Christifideles nequaquam ignorare putentur impedimenta, si quae noverint, deferre se teneri. Quod vero attinet ad loca illa ubi Synodus Tridentina est promulgata, nec tamen publice proponuntur connubia Sponsorum, qui inde sunt ubi non viget; dic quaeso, ubinam ea proponi malis? Num ubi connubium iungitur? an ubi Sponsi degunt? Atqui illic ignoti sunt Sponsi, hic vero Sacerdos abest. Nullibi ergo promulgationes fieri necesse esse videtur. Enimvero, ex communi doctorum sententia connubia alienigenarum publicari debent in loco originis, et in domicilio facti. Porro lex Tridentina haudquaquam viget in loco originis et domicilii sponsorum de quibus est casus; Sacerdotes vero qui ex Later. Concilii praescripto connubium publicare teneantur, inibi desunt. Ergo.

Ad II. Finis legis optima sane est eiusdem interpretandae norma. Porro promulgationes ideo fiunt ut sanguine iuncti notique impedimenta, quae forte noverint ineundis connubiis, deferre valeant; in Paroecia vero connubia proponi ideo statutum est, quod festis singulis ibi Missae interesse Sponsorum necessarios notosque fere contingat. Quamobrem legem promulgationum eos quidem putarim attingere qui a Sacello ubi sa-

erum fieri consuevit non adeo distant, ut Sacro interesse minime teneantur; ceteros vero non item. Quare Missionario connubia haud proponenti Sponsorum illorum, qui tribus saltem vel quatuor a Sacello in ora maritima sito distant milliaribus, succensendum non esse arbitror. Secus vero si propius immorantium Sponsorum nuptias nequaquam denunciet.

Dices: Si se isto modo res habeat, vel in Europa eorum omnium qui ob nimiam a Paroecia distantiam Sacro interesse minime teneantur, connubia vulgari necesse non esset. Res plane differt: in regionibus enim hisce, cum Paroeciae non sunt, tum a Sacello Christifideles saepissime valde distant, quod in Europa plane rarius contingit; lex autem loca illa perpetuo respicit, ubi communiter res ea se habent ratione quam lex requirit, etiamsi quandoque aliter eas habere se accidat, non vicissim. Insuper in Europae Paroeciis, eorum impedimenta qui ob locorum distantiam Sacro interesse nequaquam tenentur, vel ab extraneis multo magis cognosci sueverunt, quam in regionibus hisce cognoscantur a quibuslibet aliis haudquaquam sanguine iunctis. Tandem in quonam Sacello connubia ista praenunciari velles? Nullum est enim ad quod Sponsi magis pertineant quam ad aliud quodpiam; quippe Paroeciae non sint.

Ad III. Declarationes Sacrarum Congregationum quoad omittendas in praecedentis domicilii Paroecia promulgationes, Sponsos respiciunt, qui inde abfuerint a decem aut octo aut quinque annis. Falso autem nonnemo asserit S. Alphonsum

ad id sex domicilii sequentis menses sufficere docuisse. Id enim S. Alphonsus reapse non dicit. Nec tamen eorum omnium qui recens migrarunt, in ea ubi antea degebant Paroecia promulgationes fieri necesse esse statuimus. Immo Curiolum, quoad agricolam, recte penitus se gessisse non dubitamus, modo *status liberi* testimonium ab eo prius exegerit. Hinc enim promulgationes ex Tridentina lege in Paroecia fiant necesse est; inde vero agricolae Paroecia nulla iam erat praeter eam cui Curiolus praeest. At enim: vix advenerat. Sane quidem; sed domicilii figendi mente; quod sane ut infra docetur, satis omnino fuit ut statim ibidem connubium inire valeret. De iudice quid? Patriae non valedixit, immo quotannis illuc redire nec parum morari statuit. Geminum itaque domicilium habere et utrobique promulgationes fieri necesse esse videtur. Mercatorem quod attinet, animus ei penitus deest in Curioli ditione domicilium figendi; connubium itaque ab eo iungendum, in patria dumtaxat vulgari necesse est.

Ad IV. Si omissis denunciationibus postea detegatur impedimentum, coniuges, spe quavis dispensationem obtinendi sublata, separandos esse decrevit Synodus Tridentina (sess. 24. c. 5. de ref. matrim.). Quare nemo, qui dispensationes ex delegatione largiendi facultate gaudet (cuiusmodi sunt Vicarii Apostolici), dispensare cum istis valet. Ergo ne perperam dispensavit Leucherius? Quoad initas ob ignoratum a Missionario regionis idioma, absque denunciationibus, nuptias, dispensationem valere dixerim. Sponsi enim in bona

versati fide, huiusce generis lege poenali minime attingi videntur. Quoad vicem alteram, qua Catechistae fraus causa fuit cur matrimonii promulgationes praetermitterentur, Sponsi fraudem huiusmodi vel sciebant vel non. Si postremum, eos in bona fide fuisse constat; si prius, distinctione rursus utaris necesse est. Vel enim nec legem novere sponsi, nec poenam, quo sane casu bona fuere fide; vel legem quidem sciebant non vero poenam; idque si contigerit dispensatio valuisse videtur, propterea quod plane probabilis videatur Doctorum illorum sententia qui volunt poena minime plecti eum qui legem sciens, eamdem poena sancitam esse non novit (S. Alph. l. 7. n. 351. et Ballerini in G. de legibus n. 134.). Vel denique legem simul et poenam noverant, eoque casu dispensationem irritam prorsus fuisse ne dubites.

Ad V. Ritualis Romani in huiuscemodi re praescriptum tuta conscientia intelligi ita posse videtur ut tres *plus minus* menses requiri dicatur. Re sane vera Sacra Congregatio, prout testatur Concilium Ravennatense, constituit promulgationes iterandas esse si quarto a peractis denunciationibus mense dilapso connubium iniri velit.

Ad VI. Multiplices iteratos cognationis gradus Indorum nostrorum non raro obesse connubiis, praeter dubii aleam positum est; et Missionariorum quisquis secus putarit, videat quaeso ne ideo decipiatur, quod in quaerendis impedimentis debito suo satis plane facere haudquaquam conetur. Quod sane ex eo etiam periculosius hodie fuerit quod Sacra Congregatio P. F. Indiarum Vicariis aposto-

licis anno 1869 indixerit, ad dispensationem super impedimenta sive genere, sive specie, sive numero plura, satis plane non esse eam quae forte generatim concessa fuerit dispensationes faciendi potestatem; sed requiri specialem. Quam sane petentibus nonnisi pro certo casuum numero impertiri mos esse videtur. At de re hac alibi fusius. In praesens duo illa quae Missionarii suggessere aliquando malo remedia, sedulo perpendamus necesse est. Primum quod attinet, intentionem scilicet dispensandi, vel ea sic intelligitur ut mens dispensationem largiri volens ad dispensandum satis esse dicatur, etiam absque ulla mentis ipsius exterius facta significatione; vel ita ut signo aliquo revelata dispensationem efficiat, quaecumque demum subreptio obreptiove adesse contingat. Prius illud vero absonum est. Intentio enim, si sola fuerit, quemadmodum legem condendi, ita in ea dispensandi vi penitus caret. Dispensandi mens « exterius manifestari debet, ait Suarez (de leg. l. 6. c. 13.), ut inter homines operari possit. » Et c. 21. « Praeter voluntatem internam requiritur significatio eius externa, ut dispensatio fieri possit, et ideo si voluntas dispensantis exterius non significetur sufficienter, ex illo capite erit dispensatio invalida, quem defectum comprehendimus sub defectu voluntatis, utique sufficientis, ut aliquid inter homines operetur. » Et Conradus *praxis disp.* l. 1. c. 4. « Propterea Papa utitur verbo *dispensamus*, ut exprimatur intentio ipsius dispensantis; non enim sufficit velle, nisi exprimatur ore, cum voluntas in mente clausa nihil valeat in actibus hominum (l. quidem

cum filium de hered. inst.) ac propterea ex quibuscumque verbis generalibus in rescripto appositis, non inducitur dispensatio dicta. » At enim: cum dispensatio tacita locum habet dispensandi mentem directe significari minime requiritur; quippe quae vel scientia et patientia Praelati, vel praecepto cum clausula *ex certa scientia* imposito satis propatula censeatur. Porro nonne utrumque hoc factae per Missionarios dispensationes facile praeseferre videntur? Missionarius enim patitur, sponsos nuptias inire; a qua sane re eos prohiberet si impedimento irretitos cognosceret. Etiamsi longe verosimilior appareat Doctorum illorum sententia, qui arbitrantur vel delegatum posse quandoque in lege Principis tacite dispensare; tamen cum plures (quos inter Suarez) contrarium docent, tum eius qui dispensationem largiri potest patientiam aut praeceptum ad id minime satis esse nemo inficiatur. Scientia enim, idest certa impedimenti cognitio, in eodem requiritur. Unde Corradus (loc. cit. c. 3.) « Tacita dispensatio, ait, supponit semper scientiam defectus in eo qui dispensat... Nunquam censetur Princeps remittere vitium ignoratum. »

Ergo ne mentis dispensare volentis exterius facta, directe saltem, significatio, satis fuerit ut dispensatio vi polleat? Nisi ita significetur ut plane constet vel ignota nuptiarum impedimenta depelli, irrita prorsus censenda est dispensatio. Quid itaque si nulla ex parte significatio deficiat? Cum Romae dispensationes fieri non consueverint super impedimenta ignorata, ut quaestionem apte solvamus, quaestionem aliam attingere prius necesse

est. Num scilicet Vicarii apostolici, ea qua dispensandi donati sunt facultate non aliter uti possint, quam Curiae Romanae adamussim more servato? Ita sane arbitrantur non pauci (et quoad eius fieri potest praxim ad id exigere rationi consonum esse non dubito), quippe Summi Pontificis mens ita se habere videatur, ut alia ratione quavis Episcopi Missionarii concessione apostolica uti plane non possint. At Pontificem Summum revera id in animo habere quî quaeso conficis? Curiae Romanae leges vigere, quoad eas quas Sacra Dataria et Poenitentiaria ordinaria ratione largiri solent dispensationes, iuris praescripto constat. Dispensationes vero *extraordinaria potestate* concessas, legibus hisce subesse, quonam quaeso iure statutum est? Et sane Pontifex legibus illis minime subest: unde dispensationibus ab eo *motu proprio* concessis, subreptionis (non obreptionis) vitium nequaquam obest. Insuper Cancellariae Romanae regulas, extra Curiam Romanam vi nequaquam pollere alii contra alios propugnant. Dubia itaque vis; nulla igitur obligatio. Quare huc facere plane videntur illa « Potestas dispensandi est late interpretanda ut favorabilis, quamvis dispensatio sit odiosa... Interpretabitur late quando ea conceditur ad petitionem et favorem ipsius dispensaturi, cum personis non expressis.... Quando est dubium utrum dispensatio extendatur ad aliquem casum, interpretandum est ad eam non extendi. Secus si fuerit dubium an potestas dispensandi extendatur, ut virtute illius possit dispensari. » Et huiusmodi alia, quae communiter leguntur penes Doctores, ego

vero excerpsi e compendio Sanchezii, verbo *dispensatio.*

Num ergo praestare dixerim Vicarios Apostolicos impedimenta sustulisse ignorata? Absit. Primo enim tametsi regulas Cancellariae Romanae, hac in re, legis vim ubilibet obtinere nequaquam putarim, tamen quod eis accommodare plerumque se studeant Missionum Praesules rationi consonum plane est. Deinde: dispensationes huiusmodi vel ita concederentur ut eas impertitas esse sciretur, vel secus. Si postremum, irritam; si prius, scandalum parientem haberes dispensationem. Facillime enim exinde discerent Christifideles impedimenta celare ut absque poenae luendae debito dispensationes consequerentur. Insuper dispensationes in acta referre tenemur. An impedimenta vel ignorata, sublata prorsus fuisse in acta perscribere non erubesces? Quod si referre non audeas, de facili eveniet, ut Missionarius alius connubium invalidum habeat quod a te validum fuerat effectum. Tandem quid quaeso causae fuerit cur nos magis quam ipsa tenerrima mater Ecclesia fidelium animarum misereamur? Atqui ordinaria dispensandi ratione Ecclesia ita connubiorum impedimenta tollere consuevit ut ob subreptionem et obreptionem invalida sit dispensatio. Huc facere posse videntur quae S. C. S. O. ad Missionarios Sutchuen rescripsit anno 1780. Quamvis enim impedimentum disparitatis cultus respiciant, analogia tamen merito aptantur impedimentis aliis. Sacra Congregatio dolet et improbat « excessisse Missionarios et excedere in concedendis dispensa-

tionibus anticipativis et communibus absque nominatione personae; eisdemque iniungendum mandat, ut deinceps se abstineant ab hisce dispensationibus concedendis sub nullitatis poena (nulla ergo non antea sed in posterum; quod etiam ex eo patet quod de connubiis sic initis validandis ne verbum quidem fiat): alienum quippe a more atque a mente huius Sanctae Sedis prorsus est, cuipiam *facultates delegare velle, quae executioni mandentur, non prius visa diligenter causa,* nec positis per eumdem executorem in tuto conditionibus quae apponentur. »

At enim: opitulari, quoad eius fieri possit, miserrimis hisce Indis necesse est ne ingenti fortasse numero nuptias irrite contrahant. Quamobrem operae pretium fuerit rogare Pontificem Summum, ut quartus saltem et tertius cognationis gradus Indorum nostrorum connubiis nequaquam ultra opponantur. Consilium huiusmodi initum plane est, nedum mente agitatum, et anno 1865 a Sacra Congregatione P. F. « Quaerebatur abrogatio impedimentorum tertii et quarti gradus consanguinitatis et affinitatis pro indigenis istarum regionum, vel saltem facultas dispensandi ad cautelam super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis quae in matrimoniis indigenarum eorumdem intercedunt; quaeque saepissime ignota manent propter difficultatem ea detegendi, diligenti licet examine instituto, attentis nimirum castarum usibus ibi locum habentibus. » Cum haec petitio ad Congregationem Sancti Officii deducta fuisset, sequentia prodiere responsa die XIV mensis De-

cembris a. 1865. « 1. Quoad generalem dispensationem pro Missionibus Indicis super impedimento tertii et quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis. Negative. 2. Quoad facultatem vero dispensandi ad cautelam in casu exposito non esse necessariam, quando dubitatio de existentia ecclesiastici impedimenti oritur dumtaxat ex motivo generali. Dispensationem huiusmodi posse a Vicar. Apost. eorumque delegatis impertiri, absque nova Sedis Apostolicae venia, quando dubitatio prudenter oritur ex motivo particulari et agitur de impedimentis super quibus, si certo cognoscerentur, Vicarius Apostolicus absolute dispensare posset. 3. Non esse cur Missionarii tanta anxietate laborent de impedimentis ob consanguinitatem vel affinitatem, ecclesiastico iure inductis, quae post diligentem inquisitionem ignota remanere possunt.» Ex litteris Sacrae Congregationis P. F. anno 1866 ad Illm̃um et Rm̃um Episcopum Iassensem Vicarium Apostolicum Maysourensem in Indiis orientalibus (1).

(1) Non abs re erit heic adnotare quae de dispensatione generatim facta, quoad Indos occidentales, super quosdam cognationis gradus referunt Vera Crux, de Avendaño, Verricelli, Fr. Io. Babtista, et Th. Sanchez. Vera Crux *Specul. Ip*. a. 43. concl. 3. « Ex speciali privilegio cum omnibus novi orbis incolis concessum est in tertio et quarto gradibus etiam matrimonialiter coniungi posse, ut patet ex expressa extravaganti Summi Pont. Pauli III ex speciali privilegio. Tamen haec dispensatio non ad omnes christicolas se extendit, sed solum ad neophytos novi orbis.... Hoc privilegium tam in gradu consanguinitatis quam affinitatis intelligitur. Per novum orbem intelligas omnes provincias Indo-

Ad VII. Causae sunt, aliae ob quas debent, aliae ob quas possunt sponsi a promulgandi connubii debito absolvi. Prioris generis causae sex

rum..... Qui a stipite distat in tertio gradu poterit ducere consanguineam, quae distat primo, eo quod secundum ius tales in tertio gradu dicuntur distare. »

De Avendaño *Thesaurus Indicus* tit. 12. c. 14. « Indi ut matrimonium contrahant non obstante cognatione ultra secundum gradum transversalem, aut affinitate nulla indigent dispensatione, iam enim illa generaliter potiuntur. Sic Alph. a Vera Cruce, quem adducit Fr. Io. Baptista *in Animadv. pro Confessariis Indorum* p. 1.

In gradibus lineae directae ascendentium scilicet et descendentium non videtur admittendum quod praecedenti est assertione probatum...

Resolutio assertionis primae ad gradus affinitatis in linea recta extendi potest...

Valde probabilis sententia est in linea transversali nullum esse impedimentum iure naturae aut divino. »

Verricelli *De Apostolicis Missionibus* tit. 1. 1656. q. 98. §. 32. n. 115. « Greg. XIII in Bulla 21 Septembris 1591 ut scribit Solorzanus *de Indiarum iure et gubernatione* lib. 1. c. 28. n. 50. concessit dispensationem ut Indi nedum puri sed etiam mixti, possent contrahere matrimonium in tertio et quarto gradu consanguinitatis...

Dico in omnibus dispensationibus Indis concessis comprehendi Indos mixtos (n. 116) non tamen *Quarterones* idest natos ex patre Hispano et matre mixta, quia isti habent tres partes sanguinis Hispani, et unam sanguinis Indi n. 124.»

Fr. Io. Baptista *in Animadv. pro Confessariis Indorum* par. 1. fol. 38. pag. 1. (latine translata verba eius sic se habent): « Ad primum dubium respondeo: Indos posse nuptias contrahere in tertio et quarto gradu. Ratio est: quia hoc apud Indos est de iure communi; et praedicta Bulla quae dispensat in matrimonio tertii et quarti gradus non est privilegium sed extravagans et de iure. Et quemadmodum cum gradus matrimonii erant septem, Innoc. III eos reduxit ad

fere censentur: 1. Periculum ne matrimonium malitiose impediatur. 2. Damnum grave, puta infamia aut scandalum imminens ex matrimonio dilato. 3. Metus ne vir stupratam deserat. 4. Si matrimonio civiliter iam contracto, sponsus tres aegerrime ferat promulgationes. 5. Si quando connubio iam inito detegitur impedimentum, per consensus renovationem matrimonium convalidari necesse sit. 6. Ex plurium sententia, si per denunciationes sponsi pudori exponantur et hominum ludibrio; quod plerumque contingit quando, vel sponsi sunt valde senes, vel senex cum iuvencula, aut nobilis cum plebeia copulandus est; quaedam enim irreverentia fieri Sacramento videtur, quando contrahentes irridentur. Alterius generis causas innumeras fere dixerim esse posse.

quatuor, Ita Paulus III quoad Indos reduxit ad primum et secundum tantum. Et quod hic dico non est mea tantum opinio, sed eam confirmant viri alii doctissimi hic et in Hispania, probavitque et admisit Illmus Archip. D. Petrus de Moya de Contreras. »

Thomas Sanchez *de Matr.* l. 8. disp. 24. n. 35. « Privilegium Pauli III qui (ut refert Vera Crux) concessit Indis novi orbis ut possint in tertio et quarto gradu matrimonio coniungi. Poterunt sic coniungi, licet alter in secundo vel primo gradu distet. Quia licet dispensatio sit stricti iuris debet recipere interpretationem a iure communi. At attento iure communi distantia graduum computatur iuxta remotiorem. »

Monere tamen non praetermittam, in praesens penes Indos occidentales non minus quam penes orientales impedimenta praefata vigere prout palam est ex facultatibus super ea dispensandi, quas ab Urbani VIII temporibus ubique eadem ratione Vicariis Apostolicis Apostolica Sedes impertiri consuevit.

Specialim vero inter eas censetur dignitas contrahentium, idest quando agitur de matrimoniis Principum seu Magnatum. Generatim vero ex mera gratia dispensari potest, quando nulla impedimenti suspicio est, et incommoda absunt ad quae vitanda denunciationes fiunt. Praeterea ad dispensandum sufficit extraiudicialis informatio conscientiae Ordinarii. Ex quibus omnibus sane patet quid de Severo, quid de Benigno constitui debeat.

CAPUT III.

DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

CASUS

I. Tardulus Missionarius connubiorum in radice dispensationes non ita pridem in regionibus hisce factas, vix ullius emolumenti plerumque fuisse contendit; quia « dispensatio in radice locum habere nequit, nisi in connubio de facto inito, quodque uti verum a contrahentibus spectatum fuerit in actu, quo illud inibant; alioquin ipsa deesset radix quae sanetur » (Perrone de mat. l. 11. sect. 1. c. 4.); qui vero penes Goanos, schismate adhuc vigente, nuptias inibant, in mala fide saepissime versabantur, ideoque nuptias suas perinde ac vera connubia spectare non poterant.

II. Ioannes et Ioanna secundis nuptiis invicem copulati, de prole, quam quisque ex priore connubio susceperat, invicem matrimonio iungenda, consilium ineunt. Sed adstat Catechista, qui perperam eos admonet de impedimento irritante.

Noctua volat; quare Catechista perperam spondet negotium se ita cum Missionario acturum, ut is impedimento plane ignorato, de connubio sponsis non abnuat. Dictu et actu facillima sane res! Interim tamen ob Catechistae vafritiem, sponsi cum fide pessima nuptias ineunt. Quod sane cum Missionarius paulo post resciat, connubium ob consensus defectum, invalidum esse arbitratur; cum enim, ait, nihil volitum sit quin praecognitum, connubio assentiri nullatenus potuere, qui connubium ne fieri quidem posse putabant.

III. Non raro accidit in regionibus hisce, ut puellae cum de consensu in connubium coram et palam in Templo rogantur a Sacerdote, pudibundae an insulsae nescio, oculos ad terram demittant, faciei pallam obducant, os manu premant, et elingues appareant. Hircanus Missionarius haec videns, indignari consuevit, quandoque etiam irasci. Imò die quadam irae subito motu percitus, ergo ne nubere non vis? dicit puellae: Optime sane; et continenter sacristiam regreditur, infecto connubio, nec non adstante quoquo haud leviter stomachato.

IV. Dariamus viduus et grandaevus uxorem duxit Arinulam pariter viduam sed iuniorem; muliere enim summopere egebat ad rem familiarem pariter et susceptam ex anteriori connubio prolem curandam. Haud multo post Missionarius de conflata per neonuptam cum Dariami fratre minore, plusquam par esset, familiaritate, rumorem inaudit disseminatum. Ocius per Catechistam Arinulam arcessitam graviter monet, et inter alia mirari

se ait, maritum ei satis nequaquam esse. Quae sane verba notat Arinula, sed oculis ad terram demissis, et palla manuque dextera, prout fere mos est, ore compresso, tacet. Mox a Missionario dimissa, matrem invisit et Sacerdotis obiurgationem omnem enarrans, a marito nequaquam adamari se queritur. Mater nonnihil de re inquirens illico deprehendit, maritum coniugii iuribus, quoad uxorem, nequaquam uti; quod sane ad Catechistae aures murmurare festinat, isque Missionario quamprimum defert, qui a Dariamo de re quantocius interrogato cognovit, Arinulam ante nuptias de re clanculum se praemonitam voluisse, eamque consensum ad id rei penitus praebuisse; probe noverat enim, ait, me, utpote prole nimium plane gravatum, secus eam ducturum minime esse. Haec audiens Missionarius rem iterum ab Arinula inquirit, quae a Dariamo dicta confirmat. Quare dubitare incipit Missionarius de nuptiarum validitate; quippe matrimonii contractus consensum in corporis traditionem ad usum coniugii necessario subaudiat.

V. Profecto dubium est mihi, dicebat olim Festinus Missionarius Simplicio in vinea Domini cooperario, num ethnici Indi connubia aliter quam invalide unquam ineant. Cur? quaerit miratus alter: quia regionis more, subdit Festinus, in ethnicorum connubiis poligamiae vel etiam poliandriae, pro libitu, modo sumptui copiae suppetant, conditio penitus subauditur. Immo penes tribules quosdam, praecipue eos qui Callers nuncupantur, mos est, connubium ea ratione iungi ut eiusdem dissolutio-

nem, *si tribus eam decreverit,* implicite sponsus uterque paciscatur. Quid quod Brachmanes ita coniugium ineunt ut sibi invicem infidelitatem omnem in antecessum dimittant? Vir enim in medio nuptiarum ritu uxorem sic alloqui non erubescit: « quidquid membris tuis delinquere te contingat, ignosco. » Quod sane W. Word vol. I. mihi p. 177. (edit. Londinensi 1822) sic testatur: « The bridegroom pours clarified butter on the fire, and rubs a little on the forehead of the bride saying: by this burnt offering I promise that whatever fault you may commit with any of your members (he mentions each) I forgive them. » Cumque huiuscemodi ritus tribus more receptus sit, a nubendo plane abstinere mallent, quam hanc connubio nequaquam apponere conditionem. Simplicius haec audiens: Si res ita se habeat, inquit, penes Anglos qui ob lege sancitum divortii ius, ea conditione nuptias inire videntur ut alterutro coniuge fidem frangente, connubium dissolvi queat, iam plane nonnisi concubinatum restare dixeris. Etiam, ait Festinus, ego sic puto. Quid tu? Nescio, reponit Simplicius.

VI. Dardanius et Argentorata tribu ignobiles, et regionis incolae ubi Tridentina Synodus quoad clandestina connubia nequaquam vigere censetur, scientes ac volentes desponsati invicem fuerunt, ut fere mos est, a parentibus. Seno post haec elapso vix mense, dies ad nuptias statuitur et ad earum pompam quaeque possunt parantur. At en! Dardanius Missionarium clanculo adit, et ab Argentorata se maxime abhorrere aperit. Missiona-

rius de re probe inquisiturum se esse promittens, adolescentem dimittit. Mox tamen ut de re inquirere incipit, susurrari novit, Dardanium rem cum puella habuisse; quod sane causae esse videtur cur eiusdem in praesens adolescentem pertaedeat.

VII. Garilla fere 12 annis nata a parentibus desponsata fuerat Ariminio, ea tamen conditione *si Gerophantus,* peregre dudum profectus, cuique puellam nuptui se tradituros aliquando parentes ipsi spem fecerant, *intra annum nequaquam in patriam reverteretur.* Anno ad finem labente revertitur Gerophantus, eiusque parentes Garillam in matrimonium pro eo rogare festinant. Libenter Gerophanto puellam dimiserat Ariminius, qui post initum inter eos connubium, novis inceptis amoribus nuptias iam iam initurus exomologesim conscientiae facit. Sed heu! Confessario pandit se deflorasse Garillam, hancque nullum praeter eum, ceu maritum, habituram se esse centies contestando sibi denunciavisse. Tridentinae legi nec Ariminius suberat nec Garilla.

CASUUM RESOLUTIONES

Ad I. Ex iis qui Goanos Presbyteros sectati sunt, schismatis initio quidem plerosque, subsecuto autem tempore, non paucos, saltem rudes, mulieres, et adolescentes, in bona versatos fuisse fide non dubito. At etiamsi res aliter se habuisset, propositi nostri nihil fere intercesset; quod enim ex Perronio profertur, magis sonat ut arbitror, quam significet. Ex eo enim ad litteram

intellecto consequeretur in radice sanari non posse, nisi connubia quae bona, quoad eorum validitatem, sponsorum fide inita sint. Porro id vero consonum haud esse patescit, tum ex Ecclesiae praxi, tum ex regula, quam ad ea quae in radice sanari valent discernenda connubia, tradit Benedict. XIV. Primum quod attinet, cum resolutiones connubiorum huiusmodi fiunt, mos sane non est aut illa excipi, quae mala fide inita fuerint, aut eos qui ita contraxerint ad instaurandum communi ratione connubium adigere. Regula autem a Ben. XIV commemorata in eo est ut initio connubium iusti matrimonii speciem externam habuerit; ita quidem ut copula non apparuerit manifeste fornicaria; ideoque coniuges sese mutuo perinde ac coniuges veros tractaverint (Bened. XIV q. can. et mor. q. 174.). Quod sane contingere plane posse etiamsi coniuges mala quoad connubii valorem, fide laborent, inficiabitur nemo. Vel ut eamdem rem verbis aliis proponam; in connubio consensus, ut facta deinceps consensus eiusdem sanatio vi polleat, is esse debet quo connubium plane volitum sit.

Ad II. Tametsi absoluta ratione appeti haudquaquam possint nescita, conditione tamen adiuncta optari sub uno respectu possunt quae nonnisi sub alio innotescunt. Quam sane mentem satis superque esse docent non pauci, ut matrimonium quod sponsi falso arbitrantur nonnisi invalide contrahi posse, plane valide copuletur. Quia tamen cum Doctorum, qui haec propugnant, sententia ad summum vero similior est, tum con-

sensionis defectus iste eius est generis impedimentum quod Ecclesia tollere nequit, matrimonium sic initum nonnisi dubio revera potitur valore, ideoque quatenus mali gravioris periculum exinde minime subeundum occurrat, ita praecauto opus erit ut convalidatione instauretur.

Ad III. Meminerit Hircanus iste Tridentini verba: « Parochus viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, dicat etc. » Ex quibus sane merito infertur teneri, ut maxime, Parochum, verbis interrogare sponsos; hosce vero consensum prodere verbis nequaquam teneri. Illa enim Innocentii III (c. Tuae fraternitati 25 de Sponsis): « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti; nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum sine verbis, » signa alia consensum exprimentia minime excludunt; verba autem quoad faciliorem eius probationem in foro externo, *quantum ad Ecclesiam* requiri statuunt. Praestare tamen verba ad consensum exigere, nemo dubitat. Sic enim fert Ecclesiae usus; ac insuper verba, quippe quae *principatum obtineant significandi,* magis quam signa alia, dubium quodque consensus suapte natura removent. De facili autem poterit etiam Hircanus exprimentia consensum verba obtinere, modo ea nequaquam indignabundus requirat. Consensu tamen aliter intellecto satis eum habere malle quam irritari, optanda profecto res est.

Ad IV. Duo hic disputanda se offerunt, continentiae pactum in se spectatum, et pactum ipsum qua per Dariamum et Arinulam initum. Primum quod spectat, fuerunt qui pactum huiusmodi, matrimonii, si ei praegrediatur, validitati obesse prorsus autumarunt. Contrariam sententiam vix quempiam tueri posse subaudire videtur Ben. XIV dum ait (de Syn. l. 13.) eiusdem patronos necesse omnino esse de viribus et subsistentia huiusce opinionis studiose disquirere. At perperam hic et illi: quidquid enim in contrarium affertur miserrimo illo continetur sophismate, quo ius cum iuris exercitio, ideoque usus abdicatio, cum iuris non existentia, confunditur. Sane obligationem non exigendi aut non reddendi copulam, consistere posse cum iure in alterius corpus, apprime patet ex eo quod matrimonium valide contrahant Sponsi simplici voto castitatis adstricti, et adulter vocetur coniux alteruter extraneo se commiscens, postquam coniux uterque Ordini religioso se mancipârit. Insuper huiuscemodi ius, exercitio iuris suspenso per bimestre ad deliberandum concessum, ac inde si religionem coniux saltem alteruter ingrediatur, per totum tirocinii tempus revera permanet. Quid vero prohibet quominus coniuges ipsi, communi invicem et ultronea consensione, non solum ad bimestre vel ad biennium, sed ad vitam, continentiae pactum inire valeant; seu melius continentiam sibi invicem spondeant? Nihil enim esse videtur cur potestatem in proprium corpus sibi invicem ita tradere valeant, ut eodem tempore potestatis ipsius usum sibi invicem ce-

dant. Si enim, ut omnes fatentur, post initum matrimonium huiusce generis usum coniuges ita cedere possunt, cur et non antea? At enim: contractus effectu omni careret. Pernego. Cum enim coniugum neuter nuptias alias inire possit, et adulter vocetur si sui copiam alteri faciat, fornicarius non est si mutata sententia coniugio uti velit; idque si nolit, iure tamen suo maxime utitur dum eo libere prorsus se abdicat. Quae omnia fere dixerim epitome continentur paucis illis Doctoris angelici verbis (Sup. q. 42. a. 4.) « Duplex est integritas, una quae attenditur secundum perfectionem primam, quae consistit in ipso esse rei; alia quae attenditur secundum perfectionem secundam, quae consistit in operatione. Quia ergo carnalis commistio est quaedam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur, ideo erit carnalis commistio de secunda perfectione matrimonii, et non de prima. »

Haec omnia rem in seipsa spectatam attinent. Praxim enim quod respicit, Arinulam vix putarim Dariami praemonitum facile intellexisse. Si vero intellexerit, reverentiali tamen metu prohibitam esse quominus dissentiri se ostenderet, verisimilius videtur. Fac demum rem penitus intellexisse ratamque habuisse; facillime tamen Dariamus charitatis gratia, sin minus erga seipsum at certe erga uxorem, connubio uti tenebitur. Quid quod etiamsi minime teneretur, ob periculum tamen coniugi utrique nec non extraneis, mariti puta germano, secus verisimiliter subeundum, consilium Dariamo praebere praestat, ut omni in Deum,

quoad prolem, proiecta sollicitudine, a coniugii iuribus exercendis haudquaquam abstineat?

Ad V. Casus iste, triplicis conditionis illius cuius foeditas bono prolis, fidei, nec non Sacramenti suapte natura opponatur, speciem aliquam praeseferre videtur. Conditiones huiusmodi tametsi pro ea qua forum externum regitur praxi, perinde ac non adiectae habeantur, quoties dubium revera est num contrahentes serio eas an ioco adiecerint (iuris enim norma ita se habet, ut in dubio pro matrimonii valore ideo iudicium feratur, quod generalis connubium legitimum contrahendi voluntas, sponsorum imprimis menti inhaerere censeatur); attamen ut dubium ipsum directe pellatur, distinguatur oportet inter expressam connubio oppositam conditionem, et conditioni inhaerentem, tacite saltem, sponsorum mentem. Primum matrimoniorum obesse valori indubia res est. Etenim « non potest (ait Card. de Lugo de Sacr. disp. 8. n. 128.) esse validum matrimonium nisi quis exterius verbis aut aliis signis exprimat sufficienter animum internum. Atqui in praedicto casu (expressae scilicet conditionis, essentialibus connubii bonis contrariae) nullo modo videtur exterius exprimi consensus.... quando potius significatur oppositum. Ergo non potest haberi matrimonium solidum. » Excipit tamen communis Doctorum sententia, si ea conditio ab uno tantum sponsorum adiiciatur, altero contradicente; quia si prior, non obstante alterius contradictione, ad contractum processit, in matrimonii favorem praesumitur contradicere. Si vero intentio prava intus

se continuerit, distinctione rursus utamur necesse est. Vel enim conditio antecedenter, idest perinde ac causam praebens contractui se habet, vel concomitanter. Si primum eveniat, matrimonium est nullum ; secus si alterum accidat. Utrumque ex communi sententia dilucide sic proponit de Lugo (l. c. nn. 131-32.) « Si coniuges sciant in republica sua licere repudium, nec tamen tempore contractus addiderint limitationem istam, se non aliter obligandi, quam sub eo respectu, tum si ea scientia, quam habebant de usu repudii, se habuit antecedenter, hoc est si ideo contraxerunt, quia sciebant licere repudium, et aliter non contraherent, iam videntur se simpliciter noluisse obligare ad perpetuitatem. Atque adeo in nullitatem matrimonii declinandum est iudicium.... Si vero contrahentes ignorabant omnino an vinculum foret perpetuum, vel si credebant etiam esse dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, veram habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum ita ut illa ignorantia, vel existimatio se habeat concomitanter, cum etiam sine illa aeque contraherent; tunc matrimonium videtur validum et observandum. » Ex quibus sane omnibus sponte veluti sua fluit quid de Festini opinione constituamus. Conditiones nimirum, quas casus commemorat, concomitanter, ad summum, coniugiis adiungi videntur. At enim: *videntur,* dubia ergo res est. Dato, nec tamen concesso, dubium revera esse, nihil tamen ex eo contra nos. Nam « in dubio, prosequitur Lugo (l. c. n. 136.),

an aliquis habuerit illam voluntatem generalem et efficacem faciendi matrimonium omnino validum, iudicandum est in favorem contractus, ut valeat. Ratio: quia unusquisque praesumitur velle exercere contractum validum, nisi oppositum probetur, iuxta communem doctrinam Iuristarum, quod a fortiori habebit locum in causa matrimonii quae est magis favorabilis. » At vero: Brachmanes coniugalis infidelitatis conditionem expresse prorsus, prout casus testatur, connubio apponere consueverunt, nedum mente teneant. Quae Brachmanes in medio connubii ritu proferre solent, perinde ac coeremonia et ornatus connubii magis quam veri nominis conditio censenda sunt. An virum qui ore illa proferre non dubitat, sponsae infidelitati revera corde assentiri putaveris? Praesertim cum uxor ob suam erga virum infidelitatem, facto ipso tribu expulsa et connubii vinculo persoluta habeatur? (Strange iunior, Hindoo law n. 30. et 224.) Insuper loquitur ille, non illa, quo sane, ex plurium sententia, conditionis vim omnem auferri diximus.

Ad VI. Nota est triplex illa connubii distinctio, qua matrimonium dispescitur primo quidem in legitimum, ratum, et consummatum; tum in verum, praesumptum, et putatitium; denique in canonicum, politicum seu civile, et morganaticum seu conscientiae. Casus respicit matrimonium praesumptum, ideo sic appellatum, quod praesumatur a iure. Quae sane praesumptio in tribus praecipue casibus (si Tridentina Synodus, quoad clandestina connubia, promulgata non fuerit), locum habet.

Primo quidem cum post sponsalia *de praesenti* ab impuberibus (in quibus malitia aetatem non suppleat) invalide contracta, inter eosdem ubi adepti fuerint pubertatem signa intervenerint ratificati consensus, cuiusmodi sunt non tantum carnalis copula, sed etiam oscula, amplexus, cohabitatio etc. (Cap. *An idem quoque* de Despon. impub. in VI). Secundo, cum post sponsalia inita sub conditione, ante eiusdem eventum intercessit carnale inter sponsos commercium (Cap. *Per tuas* 6. de cond. app.). Postremo, cum post sponsalia absolute inita inter duas personas habiles, secuta est inter eos carnalis copula. Casus praesumptionem hanc respicit. De qua generatim spectata, Gregorius IX (cap. *Is qui* de sponsalibus et matrimonio) haec statuit: « Is qui fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxorem ducere velit, et si postea illam carnaliter cognoscat, aliamque in facie Ecclesiae ducat, ad primam redire tenetur, quia licet primum matrimonium praesumptum videatur, tamen contra talem praesumptionem probatio in contrarium non est admittenda.» Quibus sane congruunt quae S. C. P. F. pluries ad Missionarios reposuit. Sic an. 1804 ad Vic. Ap. Cocincinae: « Exquirebas quid sentiendum esset de copula sponsalia subsequente? Sacra Congregatio iudicavit in foro externo ex ea contrahi perfectum omnino matrimonium, ut decisum est in cap. *Is qui;* a quo cum nullo pacto recedere datum est, nec illi sunt in bona fide (si tamen bona iure dici possit in eo quod scire quisque potest ac tenetur) relinquendi, qui ad alia vota

transierunt, imo vero ut primam fidem servent serio sunt monendi. » Deinde anno 1816 ad Missionarios Tunk. Occ. « An sponsalia quae copula carnalis pluries subsecuta est, censeantur transire in matrimonium indissolubile, in locis ubi lex Concilii Tridentini de matrimonio publicata non est, etiam quando sponsus et sponsa asserunt se in actu copulae nihil aliud intendisse, quam ut naturali suae invicem inclinationi et passioni indulgeant? Respondit affirmative. Quaecumque copula modo vera et in vase debito peracta (etiamsi per accidens sit ad generationem inepta) efficit ut sponsalia transeant in verum matrimonium. » Attamen anno 1821 instructione data ad Vicarios Apostolicos Sinarum et adiacentium regnorum ac provinciarum, haec statuit: « Si in praefatis regionibus ubi publicatum non fuit decretum Sacri Concilii Tridentini, duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, cam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario; haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorum sponsalia in verum matrimonium. Coram Deo, seu in foro conscientiae liberi manent, atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in foro externo et iudiciali pervenerit, poterunt iidem ex praesumptione legis *iuris et de iure*, contra quam non admittitur probatio, per ecclesiasticam potestatem adigi ad se se habendos, tamquam veros coniuges, quibus vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit ex cap. 30. de Spons.

et matrimonio.» Hisce congruunt quae anno 1838 Sacra Congregatio P. F. reposuit ad Vicarium Apostolicum Pudiceriensem, qui anno proximo superiori, Sacram Congregationem de hac re, prout in ora coromandelica usu viget, certiorem faciens, tametsi veri nominis sponsalia constitui sponsionibus rite, pro more in regionibus hisce recepto, factis, secum una Missionarios communiter sentire, ut supra dictum est, testaretur, addebat tamen: « Istius regionis homines haud spirituales, theologicarum rerum omnino ignari, atque sensibus corporis dediti, nunquam intelligere poterunt quomodo una mulier potest haberi tamquam uxor, si alligatio Taly, iuxta usum receptum in tribu non praecesserit vel, loco huius Taly, aliquod aliud matrimonii signum, nempe monile, si tribus taly non habeat. Revera quoad effectus civiles, cohabitatio omnis ante obligationem Taly mera reputatur fornicatio. Unde evenit ut sponsi qui iudicant de hac re, sicut iudicant concives eorum, usque ad alligationem Taly copulam maritali affectu habere nequeunt, ac proinde nullo in casu talis copula matrimonium indissolubile facere potest. » Ad haec reposuit Sacra Congregatio P. F. sequentia : « Sacra Congregatio universalis inq. in conventu habito die 16 Augusti accurate perpendit ea omnia quae Amplitudo tua scripsit circa quaestionem Sacrae Congregationi antea propositam. An decretalis Gregorii IX *Is qui* lib. 4 Decr. Tit. de Spons. et matrimonio sect. 662. de matrimoniis post sponsalia et copulam praesumptis, istis in locis vigeat? Rebus autem omnibus ad eamdem

quaestionem pertinentibus, diligenti examinationi subiectis, Sacra Congregatio respondit significandum Amplitudini tuae – Quod Decretalis Gregorii IX in istis locis iuxta exposita, locum non habet –. »

Ad VII. Huc faciunt ea quae Sacra Congregatio P. F. anno 1821 instructione super citata docet: « Si quis fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat; atque in hoc statu ad Missionarium aliquem in tribunali poenitentiae accedat, debebit eum interrogare an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullum de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem Missionariorum instructionem, quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam a se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hic per ecclesiasticam potestatem cum altera muliere remanere, quacum publice matrimonium contraxit, deberet is poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine letali culpa, ex cap. 44. de sent. excomm. »

CAPUT IV.

DE MATRIMONII FIRMITATE, QUOAD EA QUAE NEOPHYTI, DUM INFIDELES ERANT, INIERE CONNUBIA, CONIUGE ALTERO, POST ALTERIUS BAPTISMUM, FIDEM AMPLECTI NOLENTE.

CASUS

I. Taricus et Banula ethnici, connubio legitime copulati, trinam ex eo prolem susceperant, cum ob Tribus morem, libenter connubii vinculo abrupto, ita seiuncti invicem sunt, ut proles Banulam sequeretur, Taricus vero novas iniret cum Lucinola nuptias, a qua brevi geminam prolem suscepit. Post haec Taricus et Lucinola inter catechumenos cooptantur. Sed en! neutro adhuc baptizato, Banula Christi fidem complectitur et baptismum efflagitat. Missionarius eam admonet de obligatione redeundi ad Taricum, mox ut is Lucinolam deserat, si vel eo prior, vel una cum eo baptismum suscipiat; quae sane verba irridens excipit Banula, quindecim abhinc annis Tarici se amplius uxorem non esse contendens. Deciperis, ait Missionarius, nulla est Tarico praeter te uxor. Baptismo carere quam ad Taricum reverti malo, reponit mulier indignabunda, et catechumenatu illico abscedit. Tum Missionarius Taricum et Lucinolam sine mora baptismo expiatos, connubio protinus iungit. Quibus expletis quaerit, quid Banulae demum faciendum sit, quae inter Christifideles cooptari certissime cupit, modo non adigatur exinde ad Taricum redire.

II. Getulius ethnicus baptizari iamdudum expetit; sed quia duas habet uxores, quae ambae fidem amplecti cupiunt, Ioannes Missionarius neque Getulio neque uxoribus baptisma conferre audet, quippe Getulius iuniorem uxorem dimissurus non videatur. Oh utinam vetula illa baptizari se nolle diceret, saltem donec baptizetur Getulius et iuniori feminae nubat! quadam die fere iocando clamavit Ioannes, cum haec inaudiens Catechista, Ioanni simul et Getulio levamen afferre cupiens, clanculum seniorem invisit mulierem, quam, utpote sterilem et valetudine adversa iamdiu laborantem, libenter iuniori fecundae validae ac venustae cessuram praenoverat, eique de facili persuadet, ut donec Getulius baptismo recepto uxori alteri connubio iungatur, baptizari se nolle simulet. Catechistae morem ea plane gerente, Getulius baptizatur, et interpellata ac baptizari renuente seniore, cum iuniori femina nuptias ritu ecclesiastico firmat. Sed en! postridie nuptiarum senior uxor Missionarium adit, et ut baptismo abluatur expetit. Miratur Ioannes et gaudet de tam opportuna mulieris conversione: sed rem nonnihil inquirens, singularem detegit qua in huiuscemodi re usus est catechista dexteritatem. Quid agendum?

III. Democrates, uxore in infidelitate relicta, ad Christum convertitur. Mox uberiori gratia perfusus perpetuae castitatis votum emittit. Paulo post eiusdem uxor Domitilla fidem amplectitur atque maritum repetit, qui eam recipere prorsus recusat. Liceat ergo mulieri novas inire nuptias,

aiunt cognati. Non licet, decretorie reponit Gennadius Missionarius, quae sane responsio risum aliis, aliis stomachum movet.

IV. Doctores plerique, teste Ben. XIV (de Syn. dioeces.), matrimonium in infidelitate contractum dissolvi volunt, mox ut sponsorum alteruter ad fidem conversus baptisma susceperit. Haec arripiens Berillus Missionarius geminam maximi plane momenti consecutionem inferri autumat. Primum est Neo-converso cum infideli coniuge cohabitare nequaquam licere; alterum vero coniugis ethnici interpellationem haudquaquam requiri, ut Neophyto novas inire nuptias integrum sit.

V. Iacobus inter Lutheri sectarios cooptatus, connubio iungitur cum Sara Lutherum sectata quidem, sed nondum baptizata. Seno a nuptiis initis elapso vix mense, ob Sarae adulterium, iudice Ministello, rescinditur matrimonium. Tum Sara catholicam fidem amplexa atque baptismate abluta, connubio cum Remo catholico copulatur. Iacobus vero, novis initis nuptiis, et brevi uxore denuo dimissa, ad tertia vota cum Rebecca anglicam haeresim profitente, et a Ministello anglicano haud ita pridem baptizata, migrare festinat. Tandem hac quoque eiecta muliere, catholicam fidem amplectitur, et cum catholica femina nuptias inire expetit.

VI. Renaudus neophytus de uxore ethnica, quam plane adamat, eiicienda nedum haud cogitet quidem, sed sui cum ea vinculum ut benedictione, prout Christifidelium aliorum connubiis fieri consuevit, impertita, magis magisque firmetur,

instanter postulat. Missionis Praesul Renaudum voti compotem fieri cupiens, super cultus disparitate largitur dispensationem, et Missionario mandat ut connubio impertiatur benedictionem. Sed heu! vix anno elapso Renaudus de uxoris fidelitate vehementer conqueritur, et ut eam eiicere, eademque ratione qua neophytis aliis, sibi quoque ad nova vota migrare liceat, flagitare non desinit.

VII. Virapillei ethnicus Christi fidem amplectitur, uxore idololatra permanente. Ad alia vota migrare cupiens, anno post baptisma susceptum elapso, uxorem rite interpellat, quae nihil respondet, immo latitare incipit, ne fidem amplecti se nolle fateri coacta, viam novo mariti connubio sternat. Neophyto de novo ineundo connubio annuendumne, vel abnuendum? Missionis enim Praesul ab interpellationis faciendae debito eum eximere, etiamsi ex indulto apostolico possit, tamen recusat.

VIII. Sivenou ethnica mulier rationis usum nondum adepta, nuptui tradita fuerat viro, quocum usque ad vicesimum aetatis annum morata est. Tum Christi fidem amplexa penes Congregationis cuiusdam et simplicibus votis adstrictas mulieres, hospitio recipitur. Haec omnia novit maritus; at nedum uxorem compellare negligat, sed ad nova migrare vota festinat. Quamobrem Sivenou etiam de novo ineundo connubio serio incipit cogitare. Monetur maritus qui cum ea cohabitare non renuit, ea tamen conditione, ut novissime ductam mulierem eiicere non adigatur. Conditionem Neophyta reiicit indignabunda, et a Missionario expetit, ut sibi quoque alias quamprimum nuptias inire liceat.

IX. Sodalamouttou ethnicus uxoratus in insulam Tapobranam, ea mente, ut ibi perpetuo moraretur profectus, Christi fidem amplectitur, atque etiamsi de inito iam antea connubio Missionarios certiores illic efficiat, ab eis cum Anna christiana muliere libentissime copulatur. Geminam ex ea iam prolem susceperat, cum in patriam reversus, priorem uxorem invisit et ad religionem primum, tum, ut baptizetur, ad Missionarium adducit, simulque huic se cum alia connubio denuo vinctum esse, eamque deserendi propositum sibi nullatenus esse, contestando denunciat. Quod nomen est Missionario, interrogatur, qui novo te iunxit connubio? Nescio, respondet. Num ante nuptias cum Anna initas, uxorem ethnicam moneri curasti? Quid factum sit nescio, reponit. Unum quod scio est, me nihil omnino Missionario celasse, eumque me cum christiana muliere copulavisse; quod sane gratum admodum mihi est. Tarbulus Missionarius, cui casus iste contigit anno 1862 quaerebat, num fides praeberi queat Sodalamouttou, vel praesumi possit Missionarium interpellationem, ut par erat, fieri iussisse. Praeterea in universum quaerebat quid sit agendum.

X. Cum Brevi *Populis ac nationibus* a Gregorio XIII an. 1585 edito, nec non instructione data per Congregationem S. C. an. 1860, constet ob nimiam locorum distantiam dispensationem fieri posse quoad coniugem infidelem interpellandum priusquam coniux neophytus novas inire nuptias valeat, Cyrinus Missionarius haud ita pridem quaerebat, quae tandem locorum distantia

ad huiusce generis dispensationem requireretur. Cui Fabellus Missionarius centum milliaria satis superque esse festive asserebat. Timotheus vero eam locorum distantiam, quam Neophytus, suarum habita opum viriumque ratione, absque incommodo plane gravi percurrere nequeat, requiri putabat. Titus autem coniugem procul adeo commorari, ut Neophyto pariter et Missionario, tum nuntio, tum epistola, tum alia via quavis monitionem ad eum transmitti moraliter impossibile censeatur, necesse penitus esse constituebat. Ergo ne, si ad id haud tenui pecunia opus esset, eam Missionarius saltem impendere teneretur? obiiciebant simul Timotheus et Fabellus. Ad quae Titus quid reponeret plane nesciebat.

XI. Omarus Turca in urbe quadam Christi fidem amplexus, connubio iungi petebat cum Getula infimae tribus christiana, quacum ceu concubinus decem iam annos commorabatur. Uxorem antehac duxerat quidem, sed asserebat fore ut frustra penitus moneretur, utpote quae viro alteri iamdudum nupsisset, nec ad eam 100 fere leucis procul degentem interpellandam, iter se aggredi posse, quippe qui opera quotidiana sibi et Getulae victum comparare cogeretur. Insuper periculum non solum Getulae aliquod imminebat, ut ab Omaro fortasse desereretur, si iste diutius ab ea recessisset, sed utrique grave verisimiliter subeundum metuebatur ob tribulum insectationes, si ad eorum notitiam, novis nondum initis nuptiis, Omari pervenisset conversio. Quamobrem instabat iste, ne uxor praemoneretur. Missionarius anceps animo

haerebat; sed Missionis Praesul dispensationem largitus est super praemonitionem.

XII. Carinus ethnicus Christi fidem amplectitur, et ad nova cum Hibrida vota migrare statuit. Ducta ab eo, dum ethnicus erat, uxor in vivis est quidem, sed mente capta. Frustra proinde futura est praemonitio. Aliunde ex tribus Gregoriano Brevi commemoratis dispensandi causis (ethnici nempe coniugis, vel dissita nimis sedes, aut ignoràta, vel opere aperte significatus dissensus) nulla penitus hic occurrit, ratiocinatur intra se Missionarius, et interpellatione pariter ac dispensatione praetermissa, Carinum cum Hibrida iungit.

XIII. Ex Missionariis nonnulli haud ita pridem inter se disputabant de causis, quae ad Neophytos ab ethnico coniuge praemonendo eximendos sufficiant. Illorum unus, Severus, aiebat earum quae Gregoriano Brevi commemorantur causarum, aliquam saltem evidenter constare necesse esse. Benignus vero in ea se esse sententia asserebat, quod satis omnino fuerit, si causarum illarum vel unam subesse verisimilius appareat. Largus autem eo innixus, quod ad instar adagii se habet penes Doctores, dispensationem quidem ad casum minime extendi, de quo dubium fuerit extendatur nec ne; dispensandi vero facultatem extendi prorsus ad casus, de quibus dubium fuerit ad eos usque nec ne protendatur; huic, inquam, innixus principio, acriter contendebat tuto penitus coniugem praemonendi onere eximi posse Neophytos, quotiescumque ob rationes hinc inde libratas

dubium revera est, num dispensationi locus sit an non. Largum Benignus pariter et Severus sic adoriebantur: Quorsum itaque nonnisi *ex motivis urgentibus in casu necessitatis, atquę rarissime* huiusce generis dispensationem impertiri fas esse, Brevi illo statutum est? Quid, quod neque sufficere, ut *Praesul dispensationem fieri necesse esse intus persuasum habeat*, decernitur? An non haec omnia dubium nullimode satis esse luculenter demonstrant? Largus sententia sua se hisce minime deiici reclamabat, sed obiectum disiicere revera nesciebat.

XIV. Minatci, ethnica mulier, aegerrime tulerat, maritum Arumugamum ad Christum converti. Paucis a baptismo suscepto mensibus vix elapsis, maritus uxorem ad Christi fidem consueto vehementius hortatus, eam in idololatria pervicacem admodum esse percipiens, minatur alias initurum se nuptias. Hisce perterrita magis quam conversa Minatci, brevi Ecclesiam ingressuram se esse spondet, eamque non amplius aversari posthac simulare conatur. Interim tamen nescio quis perperam eam edocet, marito de novo ineundo connubio minime annutum iri, nisi ea denuo rogata converti velit nec ne. Quare improba mulier domo egressa latitare incipit, ita sane ut via nulla suppetere videatur mentem eius decretoria noscendi ratione, fidem amplecti velit nec ne. Missionarius de re vehementer anceps animo haeret.

XV. Dafrosa ethnica cum Herberto marito duobus abhinc annis ad Christi fidem adducto, pacifice commorari non assentitur modo, sed expetit.

Ad fidem tamen converti iamdudum procrastinavit, immo Herberto est persuasum eam a Christi religione amplectenda prorsus alienam esse. Interim, cum Herbertus in Mauritium insulam, fortunae tentandae gratia, proficisci statuerit, Dafrosa, tum ob locorum distantiam, tum praesertim ob malignam illuc grassantem luem, maritum sequi recusat. Quamobrem hic a Missionario postulat ut sibi liceat ad alia vota clam prorsus migrare. Missionarius vero anceps animo haeret, quippe Dafrosam moneri vix posse percipiat, quin tribules in Herbertum commoveantur, et tamen in huiuscemodi rerum adiunctis nec dispensationem super monitionem fieri posse putet, ex eo quod dispensandi nulla penitus subsit ex rationibus illis quas Gregorius XIII commemorat.

XVI. Tarquinius ethnicus prima orbatus uxore, quadraginta fere annos natus, duodennem puellam novo sibi devincit connubio. Haec vero anno vix elapso partim mariti partim filiorum eius, quorum aliqui ea natu maiores sunt, vehementer pertaesa maritum deserit, et ad catholicorum orphanotrophium se conferens, baptizari expetit. Catechumenatus tirocinio rite peracto, baptisma suscipit; cumque non ita postmodum de ea nuptui catholico viro tradenda sermo haberetur, de priori connubio semel et iterum interrogata, se matrimonium cum Tarquinio haud consummasse, et ab eo viro nunquam non abhorruisse testatur. Quare dubium exoritur, num Tarquinius praemonendus sit an non.

XVII. Chrishna Brachmanes ethnicus decem annos natus connubio iungitur cum puella vix

septenni, ac sub eodem tecto cum illa, ut fere mos est, commoratur, quin eam cognoscat. Annos quindecim natus, antequam tribus more ritum expleverit quo nubilitatem in sponsa patefactam celebrari mos est, et quo ius viro asseri dixeris muliere utendi veluti uxore, Christi fidem amplectitur. Mox tribu motus et a cognatis eiectus apud Missionarium se recipit. Tribus exinde vix annis elapsis, Missionarius adolescentem connubio iungere valde praestare ratus, dubitat num ethnica uxor praemoneri debeat an non.

XVIII. Remigius neophytus non ita pridem cum ethnicus esset, duas uxores simul duxerat ex parentum praescripto. Earum altera cum eo baptizatur, et ab Herberto Missionario nulla intermissa mora, eidem connubio iungitur, uxore ethnica haud interrogata. Haec inaudiens Gandulphus Missionarius alius, de omissa praemonitione simul et dispensatione vehementer Herbertum improbare festinat. Is vero contendit ex Pii V motuproprio *Romani Pontificis* a. 1571 pro Indis edito, Indos polygamos non teneri primam uxorem ethnicam praemonere, nec lege ulla obligari dispensationem quaerere ab interpellatione, si prima uxor adfuerit, ut cum alia neophyta copulentur, quippe verbis illis: *maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperire*, significetur, motivum apostolicae concessionis, id quoque, nec tamen id solum fuisse.

XIX. Landulphus adolescens neophytus, ex opilionum tribu, non ita pridem, cum ethnicus esset, rem habuit cum Minaccia pariter ethnica,

quae sane res vicanis omnibus innotuerat, praesertim ob prolem exinde susceptam. Paulo post parentes Landulpho connubio iunxere Tarquiniam secundo consanguinitatis gradu Minacciae coniunctam. Mox ab initis nuptiis, prout mos est, puellam nondum a Landulpho cognitam parentes domum reduxerant ibi mansuram usquedum signum nubilitatis, fluxus nimirum menstruus, primo pareret. Landulphus interea ab adolescente christiano ad Christi fidem perductus, in orphanotrophium catholicum se recepit. Parentes eius, infortunio, ut putabant, medelam quadantenus afferre volentes, Tarquiniam fratri Landulphi minori Agathoni tradere festinarunt. At consummato connubio coniuges ambo, Landulpho caelibem adhuc vitam agente, Christi fidem amplexi sunt. Quaerebatur post hoc a Missionario quid de gemino Tarquiniae cum fratribus hisce connubio constitui deberet?

CASUUM RESOLUTIONES

Ad I. Nihil est cur Banulae, postquam Taricus Lucinolam duxerit, baptisma conferre renuat Missionarius. Revera enim cum Tarico individuam ex animo recusarat ducere vitam, et fidem amplecti, ea conditione ut exinde Tarico iungi denuo teneretur, se nolle candide prorsus testata fuerat. Quod itaque iniit cum Lucinola matrimonium Taricus, plane validum est, cumque eo ipso Banulae cum Tarico vinculum plane solutum existat, Banula nedum admittenda si redeat, sed arcessenda est, quoad citius fieri possit, et certior effecta

numquam in posterum fore ut ad Taricum redire adigatur, ad fidem hortanda, atque baptismo, si id appetat, expianda.

Ad II. Quod Getulius cum iuniore muliere init matrimonium irritum esse videtur. Etenim ut privilegio Paulino neophytus uti valeat, discessus ethnici coniugis necessaria plane res est. « Si infidelis discedit, discedat. Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi » (1. Cor. VII. 15.). Porro discessus nomine venit discessus verus non simulatus; secus enim coniugis ethnici non discessus sed mendacium causae esset cur privilegio Neophytus frui possit. Quid ergo si senior uxor non ab alio simulare docta, sed a seipsa protestando affirmaret, se nolle baptisma suscipere, ea tamen mente ut marito iuniori feminae post baptismum legitime iuncto ad baptisma se ipsa conferret? Ea revera mente se haberet mulier, ut dum infidelis est ad maritum baptismo regeneratum redire nolit. Verus ergo a marito discessus. Dices: nonne hoc idem in casu contigerat? Nequaquam. Mulier enim reapse parata erat ad baptisma et ad cohabitandum cum marito fideli, atque contrarium simulat unice ut ei gratum faciat.

Ad III. Democrates in religione professionem emittere poterat, aut ordines sacros suscipere, quin uxoris ethnicae consensionem ad id exquirere teneretur. Cum enim huiusmodi privilegio in universum uti fas sit, dum ratum perdurat nec consummatum coniugium, nihil penitus est cur ab eo Democrates prohibeatur. At scias velim, cum

de religiosa professione loquimur, eam intelligi, quae solemnis vocatur et in Ordine emittitur ita ab Apostolica Sede approbato, ut eiusmodi Ordo a Congregationibus distinguatur, in quibus vota dumtaxat simplicia nuncupari mos est. Quorum si alterutrum desit, connubium ratum nulla votorum emissione dissolvitur. Quare tametsi ex singulari quod Societati Iesu Gregorius XIII concessit favore, vota simplicia Scholasticorum nostrorum impedimentum sint dirimens matrimonii, connubium tamen ante contractum iisdem dissolvi haud liquido constat. At vero: Democrates votum perpetuum quidem sed simplex emisit. Id satis est, docente Sanchezio cum aliis, ne Democrates uxorem ad fidem conversam recipere teneatur, non autem ut matrimonium cum ea initum ceu dissolutum existimet. Quamvis enim sacrorum ordinum susceptione, initum ante illam connubium dissolvatur nec ne, ita lis sit ut sancto Alphonso (l. 6. n. 812.) docente, satis quidem probabilis videatur affirmans sententia, sed negans communior et valde probabilis habeatur; tamen Doctorum ne unus fortasse quidem simplici, etsi perpetuo, castitatis voto, initum antea connubium dissolvi arbitratur.

Ad IV. Si res ita se haberet, quemadmodum Lambertinius testatus quandoque est, profecto Berilli sententia in praxim deduci posset. Sed vero absonum est *Doctores plerosque* persuasum habuisse antecedens, ex quo Berillus consequens suum festive elicit. Immo Lambertinius ipse sententiam illam, quae docet coniugale cum infideli vinculum, nonnisi cum neophytus aliud connu-

bium init, dissolvi, nunc *communem imo communissimam Theologorum et Canonistarum* (quaest. can. 546. n. 6.), nunc *vero fere communiter receptam, et a Sacra Congregatione Concilii a.* 1679 *et* 1680 *definitam* appellat. Quamobrem Berilli conclusio iaceat necesse est.

Ad V. Iacobus, si baptisma valide primum susceperit, invalide, ut patet, cum Sara nuptias inivit. Sin autem invalide tunc baptismo signatus fuerit, valide quidem Saram uxorem duxit; haec tamen catholica effecta Iacobum monere non tenebatur, antequam Remo nuberet, quippe coniux ethnicus solum praemoneatur oporteat, Iacobus vero, ethnicus nec ne sit, ignoretur. Quid de Iacobi connubio cum Rebecca? Utrumque apud haereticos baptismi ritum fac subiisse. De utriusque baptismo dubitari mos est, quin dubium auferri plerumque possit. In huiuscemodi rerum adiunctis valet illud quod generatim adagii instar se habet: in dubiis scilicet matrimonii causae favendum esse. Quare Iacobi cum Rebecca nuptiae suapte natura validae haberi debent, nisi vel alterutrum invalide baptismo signatum fuisse, vel saltem impedimentorum, quae haereticos attingere valent, quodpiam nuptiarum validitati obfuisse in apertum constituatur. Firmantur haec omnia declaratione Sac. Congregationis a Gregorio XVI anno 1830 firmata, et sic se habente: « An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse cen-

seatur? » Congregatio generalis Univer. Inquisit. decrevit respondendum quod, si post debitam inquisitionem « dubium persistat, censendum est validum baptisma in ordine ad matrimonium. » Quid ergo si Iacobus baptismi ritum nondum subierit? Eiusdem cum Rebecca connubium invalidum esse videtur; quippe censendum sit validum Rebeccae baptisma in ordine ad matrimonium.

Ad VI. Sero nimis clamat Renaudus. Facta enim super impedimentum dispensatione, connubium ratum evasit Ecclesiae, ideoque suapte natura indissolubile factum est ac sacramentum. Quod sane Bonac. de matrimonio q. 2. p. 2. sic exponit: « Respondeo matrimonium contractum ex dispensatione Summi Pontificis a fideli cum catechumena, esse sacramentum ex parte fidelis volentis illud recipere. Ratio est tum quia fidelis est capax sacramenti; tum quia si duo fideles contrahant matrimonium, et unus illorum non intendat recipere sacramentum, vere illud non recipit, altero recipiente. » Postremum hoc non probatur Sanchezio, quem tamen Bonac. ib. p. 5. n. 4. confutat; at de indissolubilitate prioris connubii nemo dubitat. Casus similis S. Cong. S. O. propositus fuit ab Episcopo Cochinensi, et anno 1759 solutus est eadem ratione qua nos casum nostrum dissolvimus.

Ad VII. Merito Praesul dispensationem largiri renuit, quippe in eis quae casus commemorat rerum adiunctis interpellatione opus non sit. « Ut enim advertunt Doctores (de infideli qui malitiose fugerit vel latitet ne interpelletur), satis tunc con-

stat eum nolle converti aut cohabitare; et ideo poterit fidelis libere aliud matrimonium inire. » Ballerini ad G. de matr. n. 760.

Ad VIII. Neophytae, de qua est casus, integrum plane esse ad alia migrare vota nullum dubium fuerit iis, qui cum sententia Doctorum communiori atque probabiliori censent Neophyto privilegium Paulinum prodesse si coniux ethnicus fidem amplecti renuat, utcumque cohabitare non renuat. Sed aliis quoque qui contrariam sectantur sententiam, dubium esse non potest de Sivenou iure ad nova transeundi vota; quandoquidem mariti ethnici concubinatus contumelia sit Creatoris. Sicque respondit S. C. S. O. a. 1866 verbis hisce: « Si agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii quae convertatur, tunc facta interpellatione, si renuat converti aut cohabitare sine iniuria Creatoris, poterit uti privilegio in favorem fidei concesso. »

Ad IX. Nemo malus censendus est nisi talis esse probetur. Si itaque nec a Missionario insulano nec aliunde resciri queat, quomodo res se habuerit quoad connubium Sodalamouttu, iure censetur rite omnia perfecta fuisse. Insuper cum alterum Sodalamouttu connubium irritum esse confici nequeat, merito constare censetur contra connubium in infidelitate initum, quod suapte natura facilius alio dirimitur. Quid ergo si Missionarium de re Tarbulus percontari queat? Percontari debet, ut arbitror. Lugenda enim experientia novimus, saepe admodum in huiusmodi rebus ab Indis, quorum interest, decipi Missionarios.

Ad X. Locorum distantia formalis, ut ita loquar, a materiali probe secernatur necesse est. De postrema hac solum non loqui Breve praefatum, ex eo patet, quod finis legis, certitudo nimirum quoad eius fieri possit comparanda de ethnici coniugis discessu, prorsus abesset, si epistola, puta, vel itinere in via ferrata suscepto, brevi posset coniux ethnicus praemoneri; et tamen obtenta loci dissiti excusatione non moneretur. Exercitationis gratia quaeres fortasse utrum teneatur Missionarius saltem ex charitate epistolam scribere et illam levis momenti expensam ferre, quae ad litteras in aliam regionem mittendas requiritur ut praemonitio fiat. Suapte rei natura Missionarium ad id non teneri patet; quippe non leve esset incommodum teneri eum in re hac, et huiusce generis rebus aliis, epistolas scribere riteque mittere; ex charitate vero nemo tenetur quod suum est aliis tribuere, ni secus proximus necessitatem plane gravem sit subiturus. Porro gravis necessitas hic generatim nulla timenda videtur. Quare nisi Neophytus rudis adeo et inops fuerit, ut Missionario epistolam haud mittente, periculo plane gravi opponatur, Missionarius expensam praefatam subire nequaquam tenetur.

At finge, quod aliquando contingit, distantiam materialem aequari formali, puta quia non est Missionarius in loco illo, ubi ethnicus coniux degit, et ut praemonitio fiat, vel nuntium mitti, vel Neophytum ipsum iter ad locum illum adgredi oportet. Principio notes velim, ex Brevi commemorato, difficultatem interpellationis ob locorum

distantiam minime satis esse, ut dispensatio impertiatur. Requiritur insuper urgens connubii absque praemonitione ineundi motivum. Oportet scilicet, ut nuptiae vel differri nequeant absque incommodo plane gravi, intereadum fiat monitio; vel ea, si fiat, grave incommodum sit allatura. Ex quibus inferri licet, quo urgentius est motivum, seu quo gravius est alterutrum duorum illorum, eo minorem requiri locorum distantiam. Qua de re rursus animadvertam grave incommodum bifariam timeri posse. Vel enim timetur incommodum quoad bona fortunae, ob expensas, puta, quae ad iter adgrediendum, vel nuntium mittendum requiruntur; vel periculum est ne morae pertaesus Neophytus ad illicita propellatur. Primum quod attinet, incommodum requiri dixerim plane excedens incommodum aliud quod Neophytus subire consueverit ut iter vel per se vel per alium ob gravioris momenti res adgrediatur. Alterum vero quod spectat, periculum grave requiritur et impendens, eoque gravius quo minor locorum distantia fuerit.

Ad XI. Si praemonitionis faciendae via nulla penitus superfuisset, praeter iter vel nuntium ad uxorem ethnicam, adiunctis omnibus probe perpensis, dispensationis faciendae motivum urgens non defuturum fuisse videtur. Sed in casu praemonitio rite fieri potuisset per Missionarium degentem in loco ubi mahometica femina morabatur. Quid porro de insectationis formidine? Primo quidem de facili fidendum non erat Omaro; experientia enim novimus saepe admodum nimium vel etiam frustra timeri. Et quidem satis intelligi

nequit qua de causa insectationem post initas nuptias haud vereretur, qui ante eas formidabat. An Omaro non qua Christifideli, sed qua ignobilem et alienam ducenti periculum imminebat? Atqui, ut praeteream tribules Turcas, qui nullatenus concubinum vexarant, vix coniugi molestiam esse allaturos, praemonitio sic plane fieri poterat, ut ea res nullatenus innotesceret. Quid tamen si ex facta praemonitione, Omarum per tribules insectandum metuere rationi consonum fuerit? Causa, ut arbitror, ea fuisset, ob quam dispensatio merito fieri potuisset. Affinis huic casus alius Congregationi S. O. propositus fuerat anno 1769 sequenti modo: « An sub nomine legitimi impedimenti, per quod dispensatur coniux fidelis ab interpellatione coniugis infidelis... veniat solus timor christianorum, ne scilicet pars infidelis ob interpellationem illi factam, intelligens tali in loco haberi christianos, posset exinde christianae religioni molestiam afferre? Resp. quod in huiusmodi casu consulatur Sedes Apostolica. » Responsum ratum habitum est a Clemente XIV. Equidem cum hic de christianorum periculo sermo esset, in casu nostro Omaro dumtaxat insectationis periculum subeundum fuisset. Attamen suapte natura eiusmodi periculum istud esse, quod dispensandi causam afferret, vix est cur dubites. Sancta Sedes vero casus singulos sibi deferri voluisse videtur, ut verum periculum a fucato facilius discerni possit. Quare cum Sancta Sedes ab Indiarum Missionariis vix unquam in huiusmodi casibus consuli queat quin periculum sit in mora; in casu, Missionis Prae-

sul, qui dispensandi facultate non carebat, ea ne merito usus fuerit? Nequaquam, ut arbitror. Rei enim adiunctis omnibus probe perpensis, verius Omari fidei periculum non imminebat. At inquies: uxorem frustra monitam futuram fuisse iure praesumebatur, ob aliud per eam initum iamdudum connubium. Equidem a Gregorio XVI a. 1836 in Congregatione S. Inq. Archiepiscopo Quebecensi collata « facultate dispensandi ab interpellatione coniugis primae, quoties interpellatio aut fieri reipsa nequeat, aut si fieret nullius utilitatis fore reputatur » inferri videtur, Omarum ab uxorem monendi onere eximi potuisse, si merito praevisum fuisset frustra cessuram praemonitionem. At cum Omarus is profecto non erat vir, cui tam de facili fides praebenda esset, tum praesumptionem, cui nitebatur, satis nequaquam fuisse patet ex dato per Clementem XIV (ut supra, anno scilicet 1769) responso. Quaerebatur nimirum « an sub nomine legitimi impedimenti etc. veniat sola praesumptio quod maritus infidelis, ex eo quod iam transiit ad alias nuptias, nolit recipere secundam uxorem ut primae rursus adhaereat? » Huic quaestioni dictum est « Respondetur negative. » Et merito quidem, ut patet; periculum enim est ne fucata praesumptio ceu vera habeatur.

Quid itaque agendum in casu? Praesul enim dispensationem largitus est. Tametsi imprudenter, non irrite tamen, ut arbitror. Etenim hinc Praesul dubitans utrum causa sit satis an non, valide dispensare videtur, inde vero nisi causa, quam gravem putaverit Praesul, satis revera esset ut

valide fieret dispensatio, innumeris opponeremur in praxi anxietatum et scrupulorum periculis, quae Sancta Sedes perpetuo arcere velle, iure meritoque censetur.

Ad XII. Perperam se se gessit hac in re Missionarius. Nam praeter dispensationis causas Gregorii XIII Brevi notatas, est alia a Gregorio XVI commemorata; frustra nempe futuram esse praemonitionem. Enimvero si, cum interpellatio fieri nequit, dispensatio omitteretur, periculum plane subesset ne Carinus haud disrupto cum ethnica uxore vinculo maritali, novum connubium iniret. Et hisce congruit responsum S. Congregat. P. F. a. 1787 ad Episcopum Agathopolitanum Vicarium Apostolicum Sutchuen, quo significatur dispensationem fieri posse super interpellationem faciendam uxori ethnicae *in insaniam lapsae.*

Ad XIII. In Largi sententiam libenter descendimus, dummodo tamen recursus haberi nequeat ad Sedem Apostolicam, quin periculum sit in mora, prout generatim in Indiis, ob peculiaria rerum adiuncta, plerumque rem se habere conspicimus. Cum enim rationum momenta, quibus Largus innititur, plane gravia esse videntur, tum anxietatum et scrupulorum periculo saepe obiici necesse esset Missionum Praesules, si vel Benigni sententiam in praxim deducere cogerentur. Quae autem Benignus pariter et Severus ex Brevi Gregorii XIII opponunt, Largi sententiae non obsunt. Motivum enim urgens et necessitas adesse iure meritoque censentur, si probabiliter adsint. Secus enim vel in arctam Severi, vel in periculo plenam Benigni

sententiam concedere nos oporteret. Ideo vero satis non esse statuitur ut Praesul intus persuasum habeat dispensationis motivum ingens adesse, quia datae dispensationis processum summarium ibidem, et in casu de quo sermo erat, conficere iubetur.

Ad XIV. Uxorem malitiose latitare vel constat omnino, vel dubia res est. Si constat, dispensatio omitti potest. Recole dicta ad cas. VII. Si dubium est, rursus distinguas oportet. Vel enim dubium est tantum, utrum malitiose latitet; vel etiam num fidem amplecti in animo habeat. Si primum, idest si dum hinc constat maturam nullam conversionis spem esse ethnicae uxoris, dubitetur inde num malitiose lateat an non, dispensationem super interpellatione fieri necesse est. Si vero alterum accidat, casui quadrare videntur ea quae Concilium Limanum act. II. cap. 10. statuit atque a Sixto V una cum ceteris in eo constitutis firmata fuere: « De iis qui matrimonio iuncti convertentur ad fidem, coniuge adhuc infideli permanente, in superiori Concilio provide consultum est, ut si infidelis quidem spem suae conversionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris canonibus definitum, sed coniugis lucrum in Christo expectet. Si vero differat conversionem suam, neque tamen coniugi baptizato perniciosus existat, eum a fide avertendo aut ad peccatum mortale pertrahendo... tunc expectandum adhuc esse per semestre tempus, et assidue de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tum peri-

culum recens conversi cavendum est, ut si dein permanserit in loco infidelis fidem Christi fortassis amittat.... tum vero libertati illius consulendum est, ne caelebs vivere cogatur... ideirco decernimus, ut transacto sex mensium spatio, res ad Episcopum deferatur, qui bene perspecta causa, fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineundi... Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare infidelem, vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligat, iuxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem lex praecipi, cum occurrant profecto variae circumstantiae, neque sit omnium infidelium eadem ratio. »

Ad XV. Dispensandi motiva a Gregorio XIII ad instar exempli potius, quam constituti, seu ut loqui mos est *demonstrative,* non *taxative* commemorata esse apprime patet, tum ex motivo alio significato per Gregorium XVI anno 1836; tum ex dispensatione, quam S. Congregatio P. F. a. 1777 fieri posse innuit super interpellatione omissa, ignorantiae vel gravis incommodi causa; tum denique ex dispensatione, quam eadem Sacra Congregatio a. 1787 fieri posse docuit quoad mentecaptae consortis praemonitionem. Videtur itaque in eo, de quo loquimur casu, dispensationi locum haudquaquam deesse.

Ad XVI. Num fides praeberi potest puellae, Tarquinii connubium se nec voluisse unquam nec consummasse asserenti? In foro externo fides puellae praeberi nequit nisi luculenta signa dissensum ostendant. In foro autem interno praeberi

vix posse videtur. Cum enim in huiusce generis rebus mulieres displicentiam pro dissensu accipere consueverunt, tum experientia novimus puellas in hac regione, tametsi aegre nuptias quandoque ineant, assensum eisdem addere consuesse quoad necesse fuerit, ut initum per eas connubium validum habeatur. Puella vero, de qua est casus, si connubio assentita non fuerat, quomodo tamdiu in mariti societate permansit? Quemadmodum enim post annum fugae se dedit, ita se dare antea potuisset. Quid quod etiamsi fugae antehac se dedisset, non ideo nuptiis perpetuo repugnasse continuo dicenda esset? Experientia enim compertum est puellas in hac regione, tametsi libenter maritis commisceantur, eosdem tamen de facili, ad tempus saltem, deserere. Nisi itaque puella, de qua sermo est, aperte dissensum suum significaverit, mariti blanditias, puta, perpetuo reiiciens, cum eo colloqui renuens, invito se ei traditam esse saepe querelas effundens, fugae occasionem nequaquam praetermittens, nuptiis se neutiquam consensisse asserenti fides praebenda non est. Matrimonii consummationem quod attinet, distinctione opus esse videtur. Vel enim menstrua purgatione iam laborabat, vel non. In postremo casu de facili fides puellae praebetur. Mos enim revera plerumque viget in hac regione, ut mariti sedulo abstineant ab uxoribus, quae sanguinis fluxum menstruum nondum passae fuerint. Si prius vero contigerit, vix puellae credendum putarim, tum quia si cognita fuerit, vix unquam verecundia non impedietur quominus rem fatea-

tur; tum quia maritus ethnicus uxori vim inferre facillime potuisset, et tamen non intulisse vix est, ut arbitror, qui crediderit. Mariti prudenter interrogati testimonium fortasse rem satis aperiet. Quid ergo si vel dextere excussa ac pensitata puella, vel maritus, cordate adeo rem patefaciant, ut connubium haud consummatum fuisse constare penitus videatur? Casui huic accommoda quae ad casum continenter sequentem edicere pergo.

Ad XVII. Casus istius resolutio pendet a quaestione alia, quam de firmitate connubii inter ethnicos legitimi quidem, sed non consummati disputare perutile existimarim. Quid mihi verisimilius appareat, quoad eius fieri potest, brevi atque perspicue dicam, quin tamen litem dirimendi ius ad me pertinere contendam.

Matrimonium indissolubile plane esse, Bellarminus cum Doctoribus aliis plerisque, haud satis confici docet ex prolis bono et afferenda concupiscentiae medela. Quod sane Patrum, Augustini praesertim, loquendi ratione firmatur, qui vix unquam aliunde quam ex ea ad quam connubii vinculum evectum est dignitate sacramentali, eiusdem perpetuitatem demonstrant. Re sane vera, nonnisi ex Christi cum hominum genere unione significata, connubium haud dirimi posse liquido inferri aiunt, ita quidem ut ideo consummatum connubium indissolubile, ratum vero solubile esse doceant, quod cum in eo Christi et Ecclesiae perpetuo duratura unio significetur, postremum hoc nonnisi Christi cum singulorum mente, suapte

natura exsolubile consortium demonstret. Porro quod ethnici ineunt matrimonium legitimum, nec tamen consummatum, hinc quidem prolis causa nullatenus et ad medendum libidini vix ulla ratione perpetuitatem requirit, inde vero utpote quod in Christo et in Ecclesia nullimode initum sit, Christi nobiscum unionem nulla prorsus ratione significat. Valde facilius itaque rato per Christifideles inito dirimatur necesse est. Atqui ratum Christianorum connubium Apostolica auctoritate, vel saltem religiosa professione dissolvitur. Ergo legitimum nec tamen consummatum ethnicorum connubium ob magni plane momenti rationem quampiam, naturae iure dissolvi queat necesse est. Porro rationibus aliis quibusque potior esse videtur ea, qua quis fidem amplectitur atque priori moritur vitae. Re sane vera, ratum connubium inter Christifideles ideo professione religiosa dissolvitur, prout Ioannes XXII extrav. *De voto* nos docet, quod quemadmodum morte carnali carnale vinculum consummatione constrictum disrumpitur, ita mors spiritualis, quam religiosa professio complectitur, spirituale rati connubii ligamen plane dissolvat. Atqui baptismi susceptio spiritualis plane mors est. Unde S. Thomas sup. q. 59 a. 4. ait: « Cum conversus ad fidem et in Christo generatus priori vitae mortuus sit, potest uxorem, cum converti non vult, dimittere, nec cum ea cohabitare, aut illi debitum reddere tenetur...... Qui moritur priori vitae non tenetur ad illa, ad quae in priori vita tenebatur. Et inde est, quod ille qui in vita saeculari existens aliqua vovit,

non tenetur illa, quando moritur mundo, vitam religiosam assumens, perficere. Ille autem, qui ad baptismum accedit, regeneratur in Christo, et priori vitae moritur, cum generatio unius sit corruptio alterius. Et ideo liberatur ab obligatione, qua uxori tenebatur reddere debitum, et ei cohabitare non tenetur, quando converti non vult; quamvis in aliquo casu libere id possit facere.» Quae sane cum de cohabitatione accipiantur si sermo sit de consummato coniugio, quid obfuerit quominus de vinculo quoque dicantur quoad matrimonium non consummatum? Neque oggeras illud « quod Deus coniunxit, homo non separet »: hoc enim, prout Canonistae scite notant, nonnisi post illa « et erunt duo in carne una » quae sane consummatum connubium ostendunt, prolata fuere. Quamobrem illud Innocentii III cap.*Gaudemus: per sacramentum baptismi non solvuntur coniugia sed crimina remittuntur,* utpote quod citato Genesis textu nitatur, de matrimonio consummato dumtaxat intelligi posse videtur. Re sane vera canonem inspicienti, nil prorsus apparet, cur latius eumdem interpretari cogamur. Insuper consummatum in infidelitate connubium, novis baptismo suscepto contractis nuptiis dissolvitur. Atqui rationi haud satis consona res videtur, matrimonium ethnicorum legitimum non dissolvi facilius quam consummatum. Quid quod teste Benedicto XIV de Synodo l. 6. c. 4. « *Plerique Doctores* novas haud requiri nuptias contendunt, ut connubium in infidelitate contractum, alterutro coniuge fidem amplecti nolente, ad Neophyti voluntatem solvatur»?

Porro nulli dubium esse potest, quin minus profecto requiratur ad matrimonium haud consummatum solvendum. Non itaque succensendum ei qui contenderit praeter baptismum atque Neophyti voluntatem nihil plane requiri ut connubium eiusdem legitimum nec consummatum disiungi queat, coniuge alio converti nolente. Quamobrem illud denique tandem de ethnicorum connubio legitimo in universum constitui posse videtur, coniugem qui ad fidem converti nolit interpellandi onus suapte rei natura ex eo minime oriri. Haec sane de ethnicorum *connubio legitimo* generatim spectato. Si enim de eo speciatim quod ethnici Indi contrahere solent sermonem instituamus, onus praefatum ex eis minime iniungi, alia quoque gravissimi sane, ut reor, momenti ratione conficitur. Re sane vera, quis nostrum, quaeso, quis exterorum certa ratione constituat, quae connubii legitimi penes Indos vis et indoles sit? Rem hanc iamdudum pensanti mihi plane videtur connubii istius firmitatem veritatemque ethnicorum Indorum menti nullam penitus obversari. Re sane vera; tres gentis huiusce more connubium praesefert gradus. Primus quem *parisam* idest munerum oblationem, vel etiam *nichaiam pannudel* hoc est mulierem in sponsam habendi certam efficere spem, vocant atque, ut alias dixi, sponsalium speciem satis praeseferre non est cur dubitaveris. Gradus alius est quem *logacalianam,* idest connubium mundanum nuncupant, et quaque possunt solemnitate decorare nituntur. Quo sane connubii gradu tametsi tesseram maritalem ad

sponsae collum suspendi mos sit, sponsa tamen non tam in sponsi quam in eiusdem parentum, suapte rei natura, potestatem transire videtur. Re sane vera, si puella ante mundanum istud connubium purgationem menstruam necdum passa fuerit, quod sane plerumque, imo fere semper accidit, illicita sponso res habetur eamdem cognoscere; ita quidem, ut non solum sponsorum parentes, in rem ne fiat, sedulo invigilare sueverint, sed sponsus ipse ab huiuscemodi sponsae congressu plerumque non parum abhorreat. Haec vero connubii ratio dumtaxat ea est, quae legitimi necdum consummati connubii speciem quodammodo praeseferre dicatur. Eam autem veri nominis connubium ab ethnicis haud censeri ex eo plane patere videtur, quod sponsos rationis usus participes esse vel expertes, ad id promiscue plane habeant, ita quidem, ut saepe admodum, sponsa saltem, huiusce generis matrimonio copuletur, antequam usu rationis potiatur. Cum ergo, recepto regionis more, ad istiusmodi nuptias rationis usus haud requiratur, communi Indorum sensu huiusce generis ritum veri nominis connubium esse quis asserat? Dices: ritus iste matrimonium vocatur, et inter viduas accensetur puella, quae sponso post mundanum connubium orbatur. Insuper quid, quaeso, fuerit huiuscemodi ritus si ceu connubium legitimum haberi nequeat? Inter sponsalia enim et consummatum connubium, nonnisi legitimae nuptiae penes ethnicos intercedunt. Respondeo: Vox qua uti solent ad connubium omne significandum, *calianam*, non matrimonium dumtaxat sed prospe-

ritatem, laetitiamve significat, ideoque ad alia quoque domestica festa indicanda adhiberi consuevit. *Viduae* nomen quod spectat, nonne tales dicuntur quoque puellae, quae ante rationis usum orbatae fuerint eo qui maritus earum nuncupabatur? Postremum obiectum ex eo disiicitur, quod connubium legitimum, nec consummatum, in regionibus hisce vix penes ethnicos reperiatur statim ab iis, quae *mundi nuptiae* vocantur. Etenim huiusce generis nuptiae, suapte natura, sunt quidem medium aliquod inter consummatum connubium, atque sponsalia; non tamen ceu veri nominis matrimonium, sed potius perinde ac ritus specialis, ope cuius sponsa in sponsi parentum potestatem atque familiam transeat. Tertius nimirum posthac connubii gradus accedit, quo sponsa sponso ab huiusce parentibus, perinde ac uxor traditur, vel permittitur, idque fieri consuevit ritu alio speciali *secundum* vel *parvum,* seu *privatum connubium,* vel *nubilitatis primo parentis festum* vel etiam *corporum mutua commistio*, vocato, post quem dumtaxat, potestas sponso facta censetur utendi sponsa veluti uxore. Quae sane omnia anacephaleosi concludi sic posse videntur. Veri nominis connubium legitimum esse nequit nisi gentis more rationis usus in utroque sponso quaeratur plane, et individuam una cum coniuge vitam ducendi, nec non copulae maritalis ius afferatur. Atqui more apud ethnicos Indos recepto, rationis usus ad connubium huiusmodi non spectatur, et ius praefatum *mundiali* connubio haudquaquam affertur, antequam ritus, quo

sponsae nubilitas menstrua purgatione primo se prodens celebrari suevit, plane expleatur. Ergo ante ritum huiusmodi, connubium legitimum quodpiam haberi non est cur sentiamus.

Quae cum ita sint, longe verisimilius videtur tum ethnicorum connubium legitimum, sed non consummatum, in universum baptismo suscepto ad Neophyti voluntatem haud interpellato coniuge, sed converti certo nolente, rescindi posse; tum in regionibus hisce connubii istius naturam et indolem eam penes ethnicos esse, ex qua connubii iura et officia, ideoque interpellationis onus, minime oriri censenda sint.

Atque haec omnia plane firmari videntur ea, qua Thomas Strange (Hindoo law c. 2. on mariage, mihi pag. 36.) ex sapientum Indorum more uti solet loquendi ratione. Indorum enim connubium, antequam sponsa nubiles annos attigerit, non matrimonium appellat sed sponsalia « Manu injoined, ait, every man to give his daughter in marriage though she have not attained the age of eight. This is to be understood however of what is called betrothment, living the girl under the care of her family, till her maturity admits of her husband claiming her, of which it is the province of the mother to give notice. » Praeterea firmatur hoc ipsum ex prudentum responsis opere praelaudato citatis. Cum enim ibidem tres referantur casus (pag. 32. 34. 35.), de quibus coram iudice lis mota fuerat, quoad iura mulieris praedicta ratione connubio iunctae, a iudicibus Indis connubium huiusmodi non solum vocatur *sponsalia* (betrohtment), atque dissolubile

prorsus dicitur, si munerum oblationem (presents) comitem non habuerit; sed rescindibile absoluta ratione pronuntiatur *iustis* aliis de causis, infirmitate, puta, vel pravis sponsi moribus « Being ordained (sic pag. 34.) in the mitacshara that a girl shall be betrothed once, unless the betrothment that has taken place be liable to be revoked for sufficient reason, such as desease, bad conduct in the man, and the like etc. »

Quae sane de connubio, nubilitatis caeremonia perfecta, vel penes Indos dici fas esse, nemo, ut arbitror, somniarit. Quapropter ea quae iudex alter (ibid. p. 33.) pro tribunali sedens protulit, se nimirum nescire ullam a sacrorum ducibus indis fieri distinctionem consummatum connubium inter et non consummatum, nisi praeter consummatum veri nominis aliud connubium penes Indos haud agnosci dicatur, vel iudicis ignorantiam ostendere, vel sponsae ius ad sustentationem (de quo sane quaerebatur), nec non vidualem statum servandi onus, ex quo praefatum ius oritur, spectare dicenda sunt. Porro viduitatem servandi onus, ex recepto penes indicam gentem more, veri nominis matrimonium antehac initum suapte natura haud subaudire patet, prout supra diximus, eo ipso quo eiusmodi onere prematur quoque puella quae nondum adepto rationis usu connubium inierit.

Hisce Missionarii nonnulli, non ita pridem, obiicere festinabant, huiusce generis matrimonia veri nominis connubia censeri posse, saltem mox, ut sponsorum consensus accedat usu rationis uten-

tium. Sed perperam, ut opinor. Consensus enim praefatus fertur in ritum, prout gentis more ritus ipse receptus est. Atqui huiusecemodi ritus gentis more ita receptus est, ut suapte natura connubium esse non possit. Ergo.

Ad XVIII. Quod Remigius egit, ut arbitror, rationi consonum; quod vero locutus est, partim saltem, absonum est. Ut ab hoc incipiamus, Pii V statutum Remigius perperam interpretabatur. Re sane vera in Indiis, aeque ac ubique gentium, more receptum est, primam poligami uxorem ethnicam praemoneri. Quare Pii V motu proprio anno 1571 Indorum antea poligamorum saluti non aliter consultum fuisse dicendum, quam Brevi Gregorii XIII anno 1585 factum fuerit Angolae, Aethiopiae, Brasiliae et Indiis generatim; ideoque cum isti teneantur monere coniugem ut connubium inire valeant cum coniuge alia, quae una cum eis baptisma susceperit (quod sane apertissime patet, tum ex illa Brevis sententia « dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter coniugem ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum, suam voluntatem non significasse », tum ex instructionibus a Sacra Congregatione datis ad Missionarios), poligami Indi quoque hoc ipsum praestare teneri dicendi sunt. Nihil enimvero fuisse videtur cur Gregorius XIII Africae Americaeque neophytis duriorem se praeberet, quam Indis Pius V non ita pridem se praebuerat. Insuper ut Neophyto liceat ad alia migrare vota, uxore ethnica in vivis adhuc agente; vel

de istius discessu constare necesse est, vel neophyti cum ea connubium (quod baptismo suscepto vel ratum censetur vel rato aequiparatur) apostolica auctoritate dirimatur, si dirimi queat, oportet. Atqui uxoris discessus agnosci nequit, nisi ea moneatur; connubia vero rata, absque gravissima causa (qualis fortasse esse censetur si uxor moneri nequeat) apostolica auctoritate dirumpi, a recepta per Romanos Pontifices agendi ratione quam maxime abhorret. Nihil est itaque cur motum proprium Pii V ea, qua Remigius explanat ratione interpretari fas esse putemus. Ideo vero addita sunt verba illa *maxime quia difficillimum foret primam coniugem reperiri*, ut palam fiat alia duo, quae ceu motiva favorem largiendi commemorata fuerant, quod nempe, *plures Indis permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, et quod durissimum est separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt*, satis penitus non fuisse ad gratiam largiendam, nisi primum illud, atque suapte natura gravissimum, una concurrat. Ita vero et non aliter interpretati sunt verba praefata Missionarii Societatis Iesu in Iaponia, ubi cum *Manuale ad Sacramenta Ecclesiae ministranda* Naugasaquii edidissent a. 1605, postquam p. 155 *Motum-proprium* Pii V ex integro retulere, notam hanc apposuerunt in fine p. 156. « Intelligant Parochi, ad Ordinarium spectare causas matrimoniales decidere, et modum praescribere, quo et coniux infidelis requirendus est super cohabitatione cum fideli, et voluntas eius exploranda an

velit ad fidem converti ». Insuper iure etiam Breve ita interpretaremur ut verba illa « quia durissimum esset eos separari ab uxoribus, cum quibus baptismum susceperunt.... quia difficillimum fore primam coniugem reperiri » motivum potissimum privilegii praeseferant; clausula vero *maxime quia* etc. praecipuum, unde separationis difficultas oriri necesse sit, causam demonstret. Quae sane si concurrant, non solum Pii privilegio uti licebit, sed ne dispensatione quidem ulterius necesse erit. Quamobrem Remigii interpretationem reiicimus quidem, quoad interpellationem, sed quoad dispensationem ab interpellatione facienda probamus. Decretum enim Pontificis verbis illis: « Ut Indi, sicut praefertur, baptizati et in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus »; dispensationem non faciendam subaudit, sed plane factam ostendit.

Ad XIX. Landulphi cum Tarquinia connubio nullatenus obfuit istius cum Minaccia cognatio; quippe quia neuter Ecclesiae legibus, tempore illo subesset. Qui veri nominis matrimonium inter eos copulatum fuisse putarit, etiamsi ex recepto regionis tribusque more, haudquaquam integrum illis esset connubio uti, quia sponsa nondum passa fuerat muliebrem purgationem, ratum connubium Landulphum inter et Tarquiniam, postquam uterque baptisma susceperit, fuisse constituet. Quare in hypothesi de validitate connubii olim

initi inter Landulphum et Tarquiniam, duo discutienda se offerunt. Primum utrum Agatho teneatur uxorem Landulpho dimittere? Deinde, num affinitas ulla sit, cuius causa, frater uterque prohibeatur quominus baptismo expiatus, Tarquiniam ceu uxorem habere valeat? *Per sacramentum baptismi non solvuntur connubia sed crimina remittuntur* (Innocentius III l. c.) clamarint, qui istiusmodi verba, lata prorsus interpretantur significatione. Landulpho igitur plane reddenda uxor. Affinitatem quod spectat, modo Agatho post baptisma susceptum Tarquiniam haudquaquam cognoverit, nulla esse videtur quae prohibeat quin Landulphus uxore sua uti valeat. Si enim legitimum connubium haud consummatum affinitatem non gignit in infideli, qui postea fidem amplectitur, prout S. C. S. O. anno 1857 declaravit; multo minus affinitatem illam inducet copula fornicaria; quae sane affinitas utpote quae non sit ex iure naturae, sed ex Ecclesiae constitutione, Tarquiniam attingere nequit. V. dicenda de impedimentis matrimonii.

Haec tamen omnia, ut vides, eo spectant dumtaxat, ut casus legitimi, nec consummati connubii ab infidelibus Indis initi firmitate undequaque supposita, resolvatur. Si enim, quod nuper ad casum 17 conficere conabamur, huiusce generis copulationes vel suapte natura veri nominis matrimonia non esse, vel saltem, id volente Neophyto, baptismate per eumdem suscepto, plane dirimi tibi probatur, nihil esse cur ab Agathone Tarquiniam avoces, nullo negotio perspicis.

CAPUT V.

DE MISSIONARIORUM OFFICIO QUOAD RUDES VEL CONCUBINARIOS MATRIMONIO IUNGENDOS, NECNON QUOAD CONSENSUM EXQUIRENDUM A SPONSIS, ATQUE IMPERTIENDAM NUPTIALEM BENEDICTIONEM.

CASUS

I. Macrinus eos qui in sacellum adveniunt matrimonium inituri Christifideles rudes, Catechistae committere consuevit, qui *Pater, Ave, Credo, Decalogum, et quinque Ecclèsiae praecepta* oretenus, fere Psittaci instar repetere docet. Mox eos Macrinus ad Sacramentum poenitentiae recipit et sine mora connubii foedere iunctos dimittit. Abundius vero eos iungere renuit nisi catechismum, qui parvus vocatur et 7 continet capita, sedulo ediscant.

II. Asdrubalem Missionarium die quadam adierant mas et femina concubinatu iamdudum invicem iuncti, ut matrimonio copularentur. Eis, utpote delubro famulatum obstinate praebentibus, poenitentiae Sacramentum Asdrubal conferre non valens, id saltem praecipit, ut per aliquot dies seiuncti, fidei rudimenta, Catechista docente, discere studeant; sicque eo quo possunt meliori modo, in matrimonium praeparationem adhibeant. Id omne se praestare spondent quidem, sed ea quae scitu sunt necessaria vix discere coeperant, cum noctu clanculum aufugerunt. Asdrubal id resciens, optime sane, ait, eorum noxae nullimode particeps erŏ.

III. Marcantius nuptialem benedictionem non impertitur sponsis qui, connubio inito, per tempus aliquod una morati fuerint quin ea donarentur, suamque agendi rationem Tridentinae Synodi nec non Ritualis Romani praescriptis, propugnare conatur.

Berillus benedictionem nuptialem impertiri nos haud teneri contendit sponsis eis qui eleemosynam Missae contribuere nolint. Imo cum eleemosyna contribuitur, nec Missam pro Sponsis in Missali descriptam legi fas est. Missae quidem illius commemorationem haud omittit, sed orationes post *Pater* et in fine Missae descriptas, fundere renuit, quod *commemorationem* dumtaxat fieri praescriptum sit. Liberius e contra in ea sententia est, teneri nos, saltem extra Missam, benedictionem nuptialem neo-nuptis Christifidelibus impertiri, quippe huiuscemodi agendi ratio probata fuerit a Sacra Congregatione.

Macedonius benedictionem hanc non solum viduis in universum, sed iis quoque qui proxime ante Missam connubium non ineunt, impertiri recusat; suamque agendi rationem Ritualis Romani praescripto tueri conatur. Gregorius contra vespere sponsos connubio iungere, postera vero die mane intra Missam, Sponsis benedictionem impertiri suevit; quod sane longe tutius in hac regione esse contendit.

Tandem Nicodemus numquam verba facit ad Sponsos quae Missale fieri praescribit. Arimathaeus vero ea numquam omitti fas esse contendit.

IV. Marianus et Matilda non ita pridem cum in regionibus hisce schisma goanum vigeret, quamvis illicite, valide tamen ob Tridentinum decretum *Tametsi* haud promulgatum, connubium inierant coram Goano Presbytero iurisdictione carente. Haud multo post uterque facti poenitens in proprii Missionarii sacellum advenit ut rite connubium iniret. Is vero benedictionem quidem nuptialem eidem impertiri non curat; at tesseram maritalem, qua vincta collum est mulier recingi ut iterum alligetur, nec non consensum denuo exprimi necesse esse constituit. Marianus postremum haud aegre ferret; sed a priori vehementer abhorrens, infecta re stomachatus abit evadit erumpit.

V. Bardulphus Missionarius Sponsis, eo tempore quo nuptiarum vetatur solemnitas, connubium inire cupientibus, non solum de re annuit, sed etiam benedictionem nuptialem non raro impertitur; atque Ratberto eumdem de fracta Ecclesiae lege vehementer insimulanti, respondet, rationi absonum prorsus esse, vel suspicari Ecclesiam, piissimam sane matrem, ea mente esse, ut Indi qui nisi istiusmodi benedictionem ipsa qua connubium iniere die recipiant, vix unquam in posterum consecuturi putantur, eadem perpetuo carendi periculum plane subeant.

VI. Marcellus Missionarius cum plura simul connubia iungenda occurrunt, a coniugibus singulis quidem consensum exquirit, sed verba *Ego coniungo vos* etc. nec non alia quae annuli benedictionem respiciunt, semel pro omnibus, sin-

gulari nomine, prout necesse fuerit, in plurale mutato, proferre consuevit. Macarius Verbi Dei praeco alter, vehementer eam qua Marcellus utitur agendi rationem improbat, et singula paribus singulis repetantur necesse esse contendit.

VII. Bartolus Missionarius non ita pridem contendere videbatur, solemnitatem quamque nuptiarum Sponsis tuta conscientia permitti posse, quoties eo quo nuptiae vetantur tempore, benedictionis impertiendae sufficiens ratio esse videtur; accessorium enim, ait, quale profecto esse videtur solemnitas indico ritu usitata, sequitur principale, quod sane est benedictio. Haec arripiens Evangelii Praeco alter Bartholomaeus, ea innixus ratione, quod levior profecto quaeratur causa, ut accessoria solemnitas permittatur, quam ut principalis fieri liceat, cum eiusdem curae commissi sint Christifideles pagi cuiusdam in quo Adventus et Quadragesimae temporibus non solum coniugia iungi, sed etiam palum, quem *nattu cal* vel *cal* vel *mugurta cal* nuncupant, humi defigi, et alia quae ritum huiusmodi comitantur, perfici consueverunt, rei dissimulanter connivere non timet; maxime cum murmur et turbas facillime citum iri praevideat si, ut illa de medio tollantur, conatus a Missionario adhiberi palam existat.

VIII. Trivultius in ora Coromandelica Missionarius, neophytos qui in infidelitate connubium inierant, si coniux uterque fidem una amplectatur, mox a suscepto baptismate matrimonium in facie Ecclesiae instaurare atque solemnem expetere benedictionem teneri contendit. Crepundius

vero, in eadem regione Evangelii Praeco alter, non esse cur Missionarii de re hac sollicite curent, asserere consuevit.

CASUUM RESOLUTIONES.

Ad I. Macrinum officio deesse non dubito. Quod enim Catechistae, huiuscemodi rudes homines docere sueverunt, quantitatem, nedum modum, quod attinet, haud satis plerumque esse, inficiabitur nemo. Et quidem scitu necessaria ignorare dicendi sunt ii, qui tametsi oretenus ea proferre valeant, sensum tamen eorum nullatenus tenent. Insuper rudes istos, si minime erudias quoad Poenitentiam et Eucharistiam, quo pacto huiuscemodi Sacramenta rite illis conferre valeas, profecto non video. Tandem Macrinus nisi connubii ineundi occasionem sedulo captet ut rudes sponsos edoceat de vi connubii, qua vinculi pariter et Sacramenti, nec non de iis quae ab eodem pariuntur officiis, qui quaeso postmodum edocebit? Non ea qua Macrinus ratione sê se gerebant aevi prioris in regione hac Missionarii, de quibus Laynez (loco supra citato) testatus est: « Non antea matrimonium celebrare sinuntur (Christifideles) quam de christiana doctrina *severum examen* subierint. » Num igitur probanda ea, quam Abundius usurpat agendi ratio? Laudandus quidem Abundius si parvum catechismum ab iis edisci iubeat, quibus discendi voluntas pariter et facultas adeo praesto fuerint, ut id rei nequaquam arduum plane sit. At si in universum omnibus rudi minerva prae-

ditis Christifidelibus id rei praecipiat, severitatem nimiam profecto sapiet eius agendi ratio; praecipue cum parvus quo in praesens utimur tamulica lingua exaratus et typis editus catechismus, praeter ea quae divina vel ecclesiastica lege scitu sunt necessaria, non pauca proponat, quae a rudibus memoriae mandari iubere plerumque nequeant Missionarii quin sanae prudentiae regulis plane desint.

Ad II. Inani prorsus timore commovetur Asdrubal; non enim connubii qua Sacramenti minister est. Quare officio congrua se gessisset ratione, si sponsorum promissis minime fidens, perbreviter iis, quae scitu pernecessaria sunt quoad fidei rudimenta, nec non quoad matrimonii naturam dignitatemque propositis, sponsos connubio iunxisset. Quo sane tum eorum noxa incerta admodum extitisset, facillime enim in bona versati fuerint fide; tum etiamsi culpa plane certa fuisset, Asdrubal tamen minime eiusdem particeps evasisset. Insuper hac agendi facilitate, miseros alios ad concubinatum connubio mutandum allici contigisset. Praeterea, quod maximi plane momenti est, sic agendo Sacerdos sponsos ab innumeris, quibus, infecto connubio, certissime onerabuntur criminibus, arcuisset. Tandem ob bonam, in qua rudes sponsi fortasse versantur fidem, operae pretium quoque fuisset, misellos quomodo contritionis actus eliciatur docere, ut ad Sacramenti gratiam verisimiliter consequendam eo quo posset meliori modo iuvaret.

Ad III. Benedictio nuptialis bifariam dividitur.

Alia describitur in Rituali, estque annuli benedictio; alia in Missali. De hac dumtaxat in praesens sermonem habemus. Sponsos non solum sub gravi teneri eam recipere, sed toties peccare letaliter quoties, eadem nequaquam recepta, coeant, docuerat S. Antoninus. Verisimilius tamen atque communiter cum Ben. XIV notif. 80 docent Theologi, connubia, priusquam bene eis dictum fuerit, consummari fas plane esse. Re sane vera « S. Synodus (Trid. sess. 21.) hortatur ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent. » Quare Rituale Romanum (de Sacramento matrimonii) ait: « *Moneat* Parochus coniuges ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.» Res nimirum consilii est, non praecepti. Illam vero numquam recipere, DD. communiter letale non esse constituunt, praesertim ex c. *Nostrates* (30. q. 5.), ubi sequentia leguntur: « Sicque demum benedictionem et velamen suscipiunt. Peccatum autem esse, si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus.» Num igitur ne veniale quidem? Veniale saltem esse docuit Caietanus, a cuius sententia nihil esse arbitror cur discedas. Quemadmodum enim cap. *Nostrates* de benedictione singillatim non loquitur, atque peccati nomine letale dumtaxat subaudire putarim; ita can. *Sponsus* 30. q.5. hanc impertiri sponsis benedictionem iubere videtur; et communis fidelium sensus in eius praetermissione peccari quidpiam non dubitat. Hisce praeiactis ad singula casus devenio.

Turpiter fallitur Marcantius. Tridentina Synodus et Rituale Romanum hortantur quidem sponsos, ut ante connubii consummationem benedictionem huiusmodi consequi curent; at quemadmodum nullatenus vetant quominus hanc consummato iam matrimonio sponsi recipiant, ita connubii usus ab onere eamdem petendi sponsos nequaquam eximit.

S. Congregatio a. 1801 et 1858 clandestine sed valide initis matrimoniis benedictionem impertiendam esse docuit. Vide dicenda ad cas. IV.

Fallitur etiam Berillus; frustra enim esset Fidelium hac in re obligatio, si nullum esset eidem respondens onus in Sacerdote; praesertim cum saepe admodum eleemosynae contributio tale sit incommodum, quod ne subeatur, rem praetermitti fas plane fuerit quae nonnisi sub levi obligarit. Tenebitur ergo Sacerdos, si id absque molestia nequaquam spernenda praestare valeat, Sacrum coram Sponsis peragere, ad impertiendam eisdem nuptialem benedictionem. Re sane vera S.C. pluries interrogata num clandestinis nuptiis, sed validis, huiusmodi benedictio sit impertienda nec ne, affirmativa responsa praebuit; non ea quidem lege ut eleemosynam Missae praebeant, sed sub ea conditione dumtaxat, *ut Sponsi Sacro interesse non renuant*. Qua de re praetereundum non est responsum a. 1840 a S. C. P. F. datum Delegato Vicarii ap. Tunkinen. qui sequentia exponebat: « Cum ex decreto S. C. a. 1783 confirmante S. M. Pio VI in celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem festum de prae-

cepto, seu in quo occurrit duplex 1 et 2 classis, etiamsi sint Officium et Missa de Festo duplici per annum, sive maiori sive minori, dicenda sit Missa pro sponso et sponsa, in fine Missalis post alias votivas assignata specialiter; oritur dubium, utrum si Sponsi accedant ad Sacerdotem pro benedictione nuptiali, sed nullam conferant eleemosynam, ut pro ipsis Missae Sacrificium applicetur, quod in Tunkino frequenter accidit, cum Sacerdos non teneatur pro ipsis Missam applicare, nihilominus tali casu debeat dicere Missam pro sponso et sponsa assignatam..... S. C. respondit: Detur decretum diei 20 Ianuarii 1837. » Decretum autem istud, vel potius responsum ad Vicar. ap. Tunkinensem, sic se habet: « Servetur rubricae praescriptio quoad Missae speciem, ita tamen ut celebranti sit liberum mente sua, convertere spiritualem Missae fructum in favorem suppeditantis eleemosynam. » Idemque responsum factum est anno 1852 Illmo et Rmo A. Canoz Vicario ap. Madurensi petenti, ut benedictionem impertiri nuptialem tempore quovis fas esset, eadem ratione qua dominicis diebus fieri iussum est; nec non ut Missam Sponsis eleemosynam haud praebentibus applicare, quod Rituali Romano praecipi quidam fortasse putabant, non teneremur.

Tandem rem hanc decretoria, fere dixerim, ratione constituunt verba illa mox denuo citanda (v. resp. ad casum IV) S. C. S. O. « Coniugibus ab haeresi conversis, dummodo petant, impertienda erit nuptialis benedictio in Missa. » Petunt enim implicita saltem ratione sponsi quique, qui dum

Missae interesse parati sunt, eo meliori quo fieri possit modo connubio iungi percupiunt.

Quod vero Berillus orationes in casu commemoratas praetermitti fas esse contendat, pudendus est error; cum enim commemoratio plane manca videtur precibus illis omissis, tum ratiuncula cui Berillus innititur id demum conficeret, benedictionem, quam sane preces illae praecipue complectuntur, sponsis impertiri necesse non esse quoties Missam pro eis legi prohibitum est. Quod sane quis asserat? Sicque quaestionem diremit S. C. R. in Limburgensi 1833 reponens: nec dici posse Missam pro sponsis, nec fieri commemorationem in Missa diei, si infra eamdem non fit benedictio, sed ritus benedictionis ab ea abstrahatur; quippe quia privilegia huic Missae concessa sint propter benedictionem infra eam faciendam.

Liberius vero extremo altero peccat. Benedictio enim Missalis praescribitur quidem prout describitur, idest quatenus impertienda intra Missam; extra Missam vero eam impertiri necesse esse quanam, quaeso, lege statuitur? Equidem S. C. R. a. 1838 de re hac inquirentibus rescripsisse novimus: « Nihil obstat fieri extra Missam benedictionem nuptialem. » At recte quidem ex eo illatum esset orationes Missalis, vel idoneas alias supra sponsos extra Missam fundere haud illicitum esse; nullatenus vero id rei peragere quempiam teneri. Imo qui id inferret, in praesens facile errare posset. Etenim, cum Episcopus dioecesis Montis Albani in Galliis, dubium S. R. C. proposuisset: « An possit Sacerdos, quum matrimonia extra Missam celebrantur,

sicut in Ecclesiis civitatum Montis Albani Dioecesis frequenter evenit, sponsis benedictionem impertiri et orationes recitare, quae in Missali, in Missa pro Sponso et Sponsa habentur, quaeque dicendae sunt tum post *Pater noster*, tum ante *Placeat*, quando non agitur de nuptiis, in quibus non est deneganda supradicta benedictio? Et quatenus affirmative, an teneatur?»— «S. C. (a.1858) respondendum censuit: Negative in omnibus.»

Macedonii agendi rationem quod spectat, plura sunt improbanda. Et primo quidem, quin viduis feminis benedictio impertiatur, vetat quidem Rituale Romanum, et vetitum esse testata sunt plura SS. CC. responsa, quae inter censetur illud a.1761 datum, quo statuitur, ut si mulier sit vidua non solum benedictio Missalis, sed etiam Missa pro Sponso et Sponsa (adeo verum est quod benedictio in Missali descripta quandoque impertitur, etiamsi Missa praefata lege prohibita sit) omittatur. Attamen haec omnia subaudiunt viduam, de qua sermo est, benedictionem semel antea consecutam fuisse. Quamobrem in regionibus illis ubi non raro fortasse accidat, ut sponsorum neuter priori connubio nuptialem Missalis benedictionem adeptus fuerit, Macedonius perperam aget in eo, quod viduis in universum eamdem impertiri recuset. Quid ergo si, quod saepe admodum in regionibus hisce contingit, sponsus sit viduus et alias benedictionem huiusmodi consecutus, sponsa vero numquam nuptui antea tradita fuerit? Rituale Romanum ait: «Ubi viget ea consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem

habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est.» Porro quemadmodum vix forte reperias temporibus hisce locum aliquem, ubi huiusce generis consuetudo non ita, ita in regione hac plane vigere dicenda est.

Connubia *proxime* ante Missam iungi oportere, lex nulla constituit. Equidem Rituale Romanum matrimonii ineundi ritu descripto, subiungit: « His expletis, si benedicendae sunt nuptiae, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa celebret. » Sed ut praeteream haec ad connubia illa dumtaxat referri, quibus nuptialem Missalis benedictionem impertiri necesse est, allata verba Sacrum *continuo absque mora*, omnibus illis expletis, faciendum esse, nulla ratione significant. Praestat igitur, modo sponsis incontinentiae periculum haudquaquam immineat, proxime ante Missam matrimonii ineundi ritum explere. At si, quod in regione hac non raro fortasse evenit, sponsi ad Sacellum ex longinquo venerint, et merito suspicemur nequaquam fore ut noctu, prout par esset invicem separati ad cubitum se recipiant, ea quam Gregorius sectatur agendi ratio magnopere mihi probatur. At enim sententiae nostrae plane contraire videtur S. R. C., quae cum ab Episcopo Montis Albani interrogaretur: « Licetne Missam pro Sponso et Sponsa et benedictionem ad diem proxime sequentem, vel in aliam multo remotiorem differre, etsi coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent?» rescripsit: « Negative in casu.» Responsum huiusmodi late nimis interpretaretur, ut

arbitror, qui ex eo sententiam nostram refelli putaret. Negatio enim non est absoluta sed particularis. *In casu* nimirum. Quid sibi vult clausula haec? Casus propositus singulare quodpiam plane continet. Nulla enim gravis momenti causa benedictionem procrastinandi commemorata, in aliud, idque valde remotum, tempus eam differre licitum sit nec ne postulatur. Quem sane casum a nostro plane differre, nemo est qui non videat. Ceterum connubiorum benedictionem iusta de causa diu post eorumdem consummationem differri posse, luculentissime patet ex iis quae S. Cong. pluries constituit: nimirum in locis ubi Sacerdos haberi nequeat, connubia valide, tametsi clandestine, contrahi, sed cum primum Sacerdos adveniat benedictionem eiusdem impertiri debere.

Quid tandem de Nicodemo dixerim et Arimathaeo? Recte penitus ille arbitratur rubricam missalis, de qua sermo est, praecepti vim nullam habere; quod sane cum sensus piorum virorum communis innuere videtur, tum sancti Alphonsi docentis rubricas ad missam spectantes quidem, sed extra ipsam, nonnisi ductum praebere, seu *directivas* haberi, sententia firmatur. Perperam tamen agit, si eiusmodi verba, ideo praetermittat quod vel frustra fieri putet, vel facere pigeat. Arimathaeus, ut patet, severiori quam par esset ratione, missalis rubricam interpretatur; cui sane satis superque facere dixerim Missionarios, qui sponsos de connubii praestantia et officiis docere curant dum eos ad matrimonii Sacramentum rite suscipiendum parare student.

Ad IV. Improbandus est Missionarius ob praetermissam nuptialem benedictionem. Quod sane patet ex dictis, nec non ex gemino S. C. P. F. responso. Eorum alterum a. 1801 datum Sutchuensibus missionariis ita se habet: « Sancta Sedes hortatur fideles ad supplendam benedictionem nuptialem Parochi, in matrimoniis clandestine celebratis. Quaeritur utrum intendatur sola benedictio solemnis quae habetur in Missali, an vero etiam benedictio annuli? S. C. P. F. respondit affirmative ad utrumque ». Alterum vero, quo prioris significatio explanatur, datum est a. 1805 Vicario Ap. Sutchuensi expetenti « ut clarius explicaretur responsio S. C. de benedictione supplenda in matrimoniis clandestinis. EE. Patres censuerunt supplendam esse praecipue benedictionem quae est in rituali romano; aliam vero quae est in missali, tunc adhibendam esse, cum sponsi adesse velint Missae sacrificio, et primae nuptiae sint non ulteriores, et tempora non sint, quibus solemnia nuptiarum ab Ecclesia vetita sunt ». Quid de missionarii sententia, quoad tesseram recidendam? Rationi absona prorsus est. Satis enim superque fuisset si numisma sacrum perinde ac tesseram benedictam sponsae collo applicuisset. Quod si neque de ea re sponsus assensum praebuisset, profecto maluissem haud detractae tesserae benedicere, ea qua possem decentiori ratione, sponsae caput, puta, aqua lustrali aspergendo et super eam preces pro annuli benedictione fundendo, quam istam cum sponsi utriusque offensione detrahi iubere. Sicque agere rationi congruum esse

nostrum quisque fatebitur, qui difficilem atque morosum, in huiuscemodi rebus, Indorum animum probe norit. Quid tandem de renovando consensu? Fallitur etiam in hoc Missionarius, si de connubii validitate, rerum adiunctis quibusque probe perpensis, indubia ratione constet. Ritus enim, quo sponsus uterque consensum exprimit, ideo statutus est ab Ecclesia, ut contractus reapse fiat, fierique perspectum sit. Frustra igitur adhibetur, si contractus nequaquam initur.

Quare cum Episcopus Iassensis Vic. Ap. Maisourensis a. 1858 a S. C. petiisset « An admittenda sit pars catholica, quae matrimonium cum haeretico et coram ministello contraxit, valide tamen, ad renovationem mutui consensus coram Parocho seu Missionario catholico, qui possit etiam recitare formulam *Ego vos coniungo*.... Insuper an ad eamdem consensus renovationem admitti possint coniuges ab haeresi conversi, qui id instanter petunt? » S. C. S. O. a. 1862 sequens transmisit Vicario responsum: « In locis, in quibus matrimonia haereticorum inter se, sive inter unam partem catholicam aliamque heterodoxam contracta, etiam non servata Tridentini forma, sunt valida (dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum), nequeunt coniuges admitti ad matrimonium, iam per se indissolubile, quasi denuo contrahendum per verba mutuum de praesenti consensum exprimentia, nec formula *Ego coniungo vos in matrimonium* a Sacerdote recitanda erit. Attamen si agatur de matrimoniis mistis coram haeretico ministro iam contractis, quatenus

cautiones de iure necessariae praestitae fuerint, et pars catholica facti poenitens, benedictionem petat, poterit ei, praevia absolutione a censuris impositisque salutaribus poenitentiis, benedictio impertiri, exclusa tamen semper missae celebratione. Pariter etiam coniugibus ab haeresi conversis, dummodo petant, impertienda erit nuptialis benedictio in missa. Parochus vero quovis in casu coniuges commonefaciat eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii ».

At si connubii validitas certa usquequaque non fuerit, recte consensum denuo eliciendum esse constituit Missionarius. Quare in praxi, casum quod attinet, vix unquam consensum a sponsis haud exquirendum putarim. Nam quemadmodum in eiusmodi rerum adiunctis merito suspicamur sponsos connubium coram intruso Presbytero initum, fortasse irritum censuisse, ita quamvis pluribus verisimilius appareat, existimationem huiusmodi, matrimonii validitati nequaquam obesse, aliis tamen contraria probatur sententia, quos inter Navarrus (de matr. t. 2. p. 194.) « Non valet, ait, matrimonium, si dum contrahit (coniux) credit illud non fore validum, quia non consentit legitime in matrimonium ».

Ad V. Connubia tempore quovis inire, nulla communi lege vetitum est, ut patet ex cap. *Capellanus de feriis,* et notat Ben. XIV inst. 80. §. 2. Quod si consuetudine uspiam vel synodali statuto vetitum id habeatur (quod sane plerumque improbandum), nonnisi ex Episcopi venia licere pot-

erit. Tempore quo vetitae nuptiae dicuntur, earum solemnitas tantum, idest pompa ac benedictio in missali descripta, interdicta censetur; eoque tempore Missa pro sponso et sponsa prorsus omittitur (Ben. XIV loc. cit.). Eam vero, cui Bardulphus innititur, rationem, in universum probare non auserim, quoad Indos Christifideles. At si rerum adiuncta ita se habeant, ut nonnisi diu postmodum, puta post annum, benedictionem illam, impedimenti non voluntarii causa, sponsi adipisci revera nequeant, spernendam non arbitror Missionarii sententiam. Imo Bardulphus nullatenus fuerit culpandus, si tamen quae in *compendio ex Summorum Pontificum const. etc. etc. excerpto* et lapideis typis edito a. 1826 Parisiis per Congreg. Miss. ad exteros, reperiuntur sub titulo « *De solemnitate matrimonii* » vera habeantur. Legitur enim ibi « 1607 aprilis 28 S. C. R. concessit ut matrimonium ex causa rationabili *celebrari* possit tempore adventus inter christianos in terris infidelium ». Quae sane, si titulo fides adhibeatur, nonnisi connubii solemnitatem respicere censeamus oportet. Constitutum hoc tamen vel ignoravit, vel aliter interpretatus est Vic. Ap. Sutchuensis, qui a. 1796 S. C. P. F. supplex haec enarrabat: « Exponit Vic. Ap. saepe evenire, ut qui sine solemnitatibus matrimonium contraxere, iidem sive propter nimiam distantiam sacerdotis missionarii, sive propter prohibitum tempus, quod frequenter in reditu Missionarii ad loca priora rursus occurrit, eo quod nonnisi post annum elapsum eadem visitare valeat, benedi-

ctionem solemnem non recipiant, vel saltem nonnisi post plures annos, non raro tres quatuorve, eamdem recipere valeant. Unde humiliter supplicat, ut sacra Congregatio huic incommodo remedium benigne afferat, ne fideles tanto tempore tam optata benedictione priventur ». Resp. EE. PP. « Firma remanente lege de non impertienda benedictione tempore vetito, relinquendum prudentiae et arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo, ut spectata personarum conditione, quoad faciliorem aut difficiliorem accessum ad missionarios, tum maiori minorive diuturnitate temporis, quo expectanda foret benedictio, ipsemet Vic. Ap. facultatem elargiri valeat eius benedictionis impertiendae, facta per ipsum missionarium declaratione, eam benedictionem ad validitatem matrimonii antea valide contracti, non pertinere. Ex decreto S. C. 1780. Sanctitas Sua pariter benigne annuit ». Atque responsum istud ipsissimum est cum eo, quod non ita pridem (a. 1866) transmissum fuerat Vicario Ap. Maisourensi petenti a S. C. pro Indiarum Vicariis omnibus, facultatem dispensationes faciendi hac in re quoties difficile nimis fuerit Christifidelibus alio tempore, praeter prohibitum, benedictionem hanc consequi. Quare in praesens de re hac, saltem in Indiis, dubium amplius suboriri non potest.

Ad VI. Missionarius uterque fallitur. Ille quidem in eo quod verba *Ego coniungo vos* etc. copulis singulis non adhibeat, quae sane verba cum describantur ceu conversa ad unam dumtaxat copulam immutata prorsus, pluribus simul copulis adhiberi

non patet, ideoque non licet. Posterior autem in eo quod benedictiones communi et generali ratione fieri nefas esse contendit. Cum enim nulla id vetitum lege est, tum singulari in plurale converso, plura simul animo intendi patescit. Quare S. C. S. O. a. 1841 sequentia constituit: « Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a Parocho forma *Ego coniungo vos* etc. nihil obstat, quominus benedictiones fiant in communi per verba generalia ».

Ad VII. Accessorium sequitur principale, quatenus eidem inservit, vel eo quasi nititur ut consistat, non aliter sane. Porro mundialis ritus solemnis non ideo prohibetur quod ecclesiasticus vetitus sit. Insuper solemnitas nuptiarum spectari potest, vel quoad rei naturam, vel quoad speciem et visum. Equidem benedictio principale quiddam censenda est sub primo respectu; quippe res sacra, non sacra re plane sit potior; at qua speciem et visum praeseferens, ritus mundialis ecclesiastico saepe admodum plane solemnior est. Cumque Ecclesiae lex finem sibi propositum habeat, externam illam nuptiarum speciem, quae poenitentiae et demissioni animorum parum consona est, e medio tollere, tametsi benedictionis impertiendae potestas fieret, lex tamen optime staret, qua solemnis sponsae in sponsi domum traductio vetatur. Falso itaque ratiocinio Bartolus utebatur. Bartholomaeus vero temere, ut patet, eam qua Bartolus utebatur ratiunculam amplexus est. Perperam tamen eumdem se se gessis-

se continenter non asseram. Equidem palus humi defixus, et quae ritum hunc comitari suevit caeremoniarum sequela, suapte natura praeseferre videntur solemnem sponsae in sponsi domum traductionem, et alia tripudia solemniora, quae vetita esse censentur. Etenim cum in hisce totus fere consistat profanus Indorum connubii ritus solemnis, tum pali humi factam defixionem, huiuscemodi festi initium, insigne, ac veluti centrum quoddam merito nuncupaveris. Quamobrem, more communiter inter Christifideles recepto, nuptias extra tempus vetitum contrahi malunt christiani, quo nimirum liberiores existant ad ritum illum connubio adhibendum. Attamen quia Sanchezio aliisque docentibus « haec non sub gravi prohibentur, nisi excessus sit magnus; imo si fiant moderate, nulla erit culpa; » de facili Bartholomaeus culpa liberatur, ut arbitror; non quidem ob eam qua niti videtur rationem, sed ob murmur et turbas, quae, si aliter se se gereret, de facili concienda praevidet. Quemadmodum enim recte venialem noxam dissimulaveris ne mali plane gravioris periculum subeas, ita etiamsi palum humi defixum inter praecipuos connubii comites ritus solemnes merito censeas, attamen in ea re magnum illum a Sanchezio commemoratum excessum haberi semper, nostrum nemo, ut opinor, putarit.

Ad VIII. Casus iste ante omnia quaestionem subaudit de tempore quo Neophytorum connubium Ecclesia ratum habeat, ita ut amplius dissolvi non possit. Nemo in praesens, ut arbitror, dubitarit, eo ipso quo coniux uterque baptismo

donatus est, matrimonium eorum indissolubile fieri seu, quod idem est, ab Ecclesia ratum haberi. Num itaque sacramentum? Negabant olim Theologi plures, nisi « cum novi consensus mutuo exprimuntur, vel praecedentes per aliqua externa rati habentur » prout docet iam pluries citatum Manuale Iaponium pag. 48. Hodie tamen contrariam a nostrum quoque propugnari velim sententiam, ob sancitum, perinde ac plane catholicum, a Pio IX commune DD. placitum, quo docetur: inter fideles coniugalem unionem non esse nisi sit sacramentum. Cum itaque ex communi Doctorum sententia, inter Neophytos coniuges, mox a suscepto baptismo, vera coniugalis unio intercedat, et ita quidem, ut « nullo modo quoad vinculum dissolvi possit.... nec extet praeceptum quo infideles coniuges obligentur post baptismum ad consentiendum de novo in Christo, vel ratum habendum praeteritum matrimonium, secundum Ecclesiae intentionem » (manuale l. c.); connubium huiusmodi mox a suscepto baptismate ad sacramenti dignitatem evectum iri dicendum est.

Consensum privatim a Neophytis instaurari cum plane licet, tum satis superque fuerit (si tamen necesse) ut eorum connubium Sacramenti vim nanciscatur. Ut autem ab eis consensus huiusmodi renovationem Missionarius, qua Ecclesiae minister exquirat, neque expedit neque licet, nisi quatenus de connubio mox a suscepto baptismate, ad sacramenti dignitatem evecto, suapte rei natura, dubitatio ingeratur.

Solemnem benedictionem quod spectat, iste

Neophytorum casus eumdem sane esse putarim cum alio cuiusque, qui connubium valide inierit, tametsi clandestine; de quo supra diximus benedictionem praefatam praetermittendam non esse, quatenus alia temporis vel personarum adiuncta, quominus eadem impertiatur, nequaquam prohibeant.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§. I.

De connubiorum impedimentis generatim spectatis.

CASUS.

Praxim omnino spectat, in regionibus hisce, quaestio de iuribus et potestate Principis summi, qui societatis civilis gubernacula tenet, quoad statuenda impedimenta quae connubium dirimere valeant subditorum qui baptismo expiati non sunt. Cum enim ex centum et quadraginta circiter Indorum milionibus, vix unum mille millia christianam sectentur doctrinam, saepe admodum accidit ut Neophyti, antequam Christi fidem amplectantur, ethnicos coniuges habeant, quibuscum vera nec ne matrimonia contraxerint, certo novisse magni plane momenti res est. Porro inter eos, qui hunc Domini agrum incolunt Missionarios, non pauci, arreptis praesertim iis, quae Sacrarum Congregationum declarationes, quoad hu-

iusmodi rem constituere visae sunt, Principem connubiorum impedimenta subditis ethnicis constituere posse, quae connubia ipsa dirimant prorsus et invalida efficiant, propugnare conantur. Inter alia non pauca, quae ex Sacrarum Congregationum responsis, perinde ac sententiae huic faventia, afferuntur, est illud, quod S. Congregatio a. 1636 Missionarios docuerat « uxorem scilicet primam poligami ethnici solam esse veram uxorem, si illius matrimonio nullum impedimentum iuris naturalis vel *positivi conditi ab eorum Principe interveniat.* » Huic similia plura non desunt, quae notare et colligere gestiunt, qui praefatam sententiam ceu vero consonam arbitrantur.

Quo autem casus iste quanti in praxi momenti sit luculentius appareat, impedimenta novisse non pigeat quae indico iure per anglicam legem, pro ethnicis Indis, firmato, antiquitus constituta fuere. Ea depromam ex legis Indicae *enchiridio* quod Thomas Strange ad forensium hominum, iurisconsultorum pariter et rabularum, usum typis vulgavit anno 1856.

I. Puella tametsi nubere permittatur a bimatu et ultra (§. 16.), Sponsum tamen seligere prohibetur nisi undecimum aetatis annum attigerit. Antehac pater eius, eoque deficiente, cognati alii lege indicati, sponsum ei comparandi onus suscipiunt (§. 19.).

II. In universum tria dumtaxat necessario concurrunt ad matrimonii validitatem, sponsae nimirum traditio, eiusdem acceptatio, nec non caerimonia, quam *Sapthapathi* vocant, atque in eo

est ut sponsus sponsae pedem gradatim trahat per septem lineas, quibus in patera signant orizae pugillum (§. 25.).

III. Viduae secundo nubere prohibentur, certis, iisque ignobilibus, tribubus tantum exceptis (§. 35.).

IV. Ut Concubina in uxorem ducatur, lex non permittit, nisi ignobilibus certae speciei tribubus (§. 40.).

V. Infimis ex quarta (Sutrorum nempe) tribuum divisione tribulibus certis exceptis, sponsos connubio iungi prohibitum est, qui eadem tribu non fuerint (§. 43.).

VI. Brachmanes omnes ad 155 stirpes quae *Cotras* dicuntur revocari mos est, atque earum cuique stipes omnium primus fuisse censetur *Rishi*, vir scilicet morum et corporis castigatione plane insignissimus. Proximae duae post Brachmanes tribuum divisiones (Shatrias nempe et Vessyas) distributione varia partitae sunt pro ea qua ad suum quaeque refertur stipitem omnium primum ratione. Porro connubium iniri Indica lege prohibitum est inter eos qui ad unum eumdemque stipitem primum reduci valeant (§. 46.). Quarta tribus, postrema nimirum ex tribubus a Manu constitutis, quaeque tribules omnes complectitur quos Sootras vocamus, connubia iungere prohibetur, quibus invicem copulentur cognati, qui ad eumdem stipitem reducuntur, sexto ultra patrem vel quarto ultra matrem cognationis gradu. Num stipitem demere oporteat an non, lege statutum videre non licuit.

VII. Tandem filius adoptivus gradibus subest prohibitis, tum familiae cui adiunctus est, tum alterius unde desumptus fuit.

CASUS RESOLUTIO.

Ad casum unicum. — Casum hunc, ut perspicis, probe solvere non poterimus, nisi delibata quaestione de iis, quae reipublicae in civium connubia competunt iuribus. Qua de re, connubium gemino sub respectu perpendendum se offert. Qua vinculum scilicet coniuges invicem iungens, et qua nova ad societatem civilem spectans familia. Vinculum matrimonii quod attinet, Principi nullum penitus ius esse, quae ex multorum sententia conficiunt rationum momenta, sic adstringere liceat. Societas nec largiri nec avocare potest iura, quae mere individualia, vel religiosa, vel domestica sunt; quippe huiuscemodi iura, politica societate priorem sane et altiorem nanciscantur originem. Re sane vera, civilis societas personam, religionem, familiam nequaquam constituit, sed persona, religio, familia utpote quae ex hominum singulorum natura sponte nascantur sua, atque politico hominum plurium in unum conventui originem praebeant, societati civili praeierint necesse est. Atqui quod suapte natura praecedit, pendere nequit ab eo quod suapte natura consequitur. Porro iura individualia, domestica, ac religiosa matrimonium sibi vindicant. Quod sane sic confici est. Matrimonium, utpote quod integrationem et complementum personalitatis humanae constituat,

plane personale ius est. An iuris civilis in universum esse contenderis, puta, decernere quonam modo cultus exterior, victus, vestitus, deambulatio, medicina et huiusmodi alia per subditos usurpentur? Atqui hisce omnibus magis profecto connubium humanae personae cultum, atque medelam spectat. An non tyrannidem saperet lex civilis, quae spontaneis, intimis, nec non saepe admodum fere dixerim ineluctabilibus animi humani affectionibus propensionibusque hac vel illa ratione certa, nec aliter prospectum iri statuerit? Porro ex omnibus animi propensionibus illa plane est vehementior qua feruntur homines ad connubia. Insuper connubium est quo familia oritur, eiusque internum regimen certa ratione instituitur. Familia enim ex vinculo coniugali ortum ducit, in amicabili coniugum atque individua vitae ratione, nec non mutuo unius in corpus alterius iure fundatur. Ex quibus sane omnibus ortum habent fidelitatis, dilectionis, cooperationis officia. Porro si tyrannidem merito vocaverimus Principis legem quae amicitiae pro cuiusque voluntate fovendae, multi generis impedimenta constituat, quanto magis eo nomine iure appellarim civilis Principis legem quae impedire atque pessumdare nitatur necessitudinem coniugalem, omnibus necessitudinibus hominum plane potiorem, quippe quae non modo liberum mentis assensum, sed quamdam etiam exquirat sensus propensitatem, propterea quod ex ea pendeat vitae totius quies atque iucunditas, nedum vitae vegetalis et animalis in homine complementum?

Tandem: quatenus connubii ope parens statuitur Dei minister et instrumentum in sobole procreanda atque instituenda, matrimonium suapte natura religionem spectare dicendum est. Procreatio enim eiusmodi sive in se ipsa spectetur, quatenus nempe Dei solius opus est animam condere et corpori infundere, sive ratione finis, qui sane est existentia atque institutio entis illius, cuius officium in primis est Deum laudibus et operibus revereri; sive tandem ratione obiecti (est enim, qui procreatur, expressa et vivens D.O.M. imago), religionem praecipua ratione spectare inficiabitur nemo, cuius mens carne adeo non obruatur, ut hominum matrimonium a brutorum invicem commistione secernere nesciat.

Neque illud praetereundum est, connubium inire saepe admodum necessariam eatenus homini plane rem esse, quatenus ita nec aliter, se se legis divinae frangendae periculo eripiat. Porro quemadmodum periculo huiusmodi, in hisce rerum adiunctis, coniugii ope eripere se se non solum potest, ob ea quibus instruitur iura privata et religiosa, sed etiam tenetur, officio naturae simul et religionis, ita coniugium ad id rei parum prodesse poterit nisi ita se habeat, ut sensuum propensioni satis congruat. Atqui civilis potestas utrumque prorsus ignorat. Ei autem, qui morbum agnoscere nequit, de adhibenda vel praescribenda morbo medela, statuendi ius esse dixeris?

Quae cum ita sint, connubium a contractibus aliis toto caelo distare tum quoad scopum, tum quoad formam, tum denique quoad materiam; ideo-

que ex eo quod is qui societatis civilis gubernacula tenet, contractibus aliis impedimenta statuere valeat dirimentia, haud recte hoc idem inferri etiam quoad matrimonium, nemo non perspicit. Re sane vera, contractus ceteri hunc scopum habent, ut relationes instituantur non intimae et amicabiles, sed extrinsecae, atque pendentes a rebus quae in hominum commercio positae sunt. Deinde contractus alii suapte natura formam requirunt, non ultroneam undequaque, idest sensibus etiam congruum nedum libera mente partum assensum, sed eum dumtaxat qui liber dici queat consensum. Tandem contractuum aliorum materia sunt non corpus ipsum et intimae animi affectiones, sed extrinsecae res et actiones. Quamobrem ingens discrimen interest inter contractus ceteros et connubium, ideoque perperam, arbitrati fuerimus, quae de illis constituuntur, de hoc quoque nullo negotio constitui.

At enim: origo civitatis familia est, familiae origo vinculum est coniugale. Civitas ergo vinculum istud regat necesse est, ea ferme ratione, qua principium vegetale in planta, non solum ramos et truncum, sed etiam radices attingit, fovet, eisque vitam infundit et motum. Sic, ut puto, maiori qua possit argumenti specie, obiectionem istam perferre est. Eam tamen disiicere nullius prorsus negotii res esse videtur, ex iis quae Aristoteles 1. polit. ait: « Non omnia quae necessaria sunt civitati, partes sunt civitatis. » Re sane vera: num religionem ideo ius civile appellaveris, quod civitas religionem plane requirat? Nisi dicere ma-

lis, ideo religionis esse regere civitatem, quod civitas religione opus habeat. At vero: civitatis radix est vinculum coniugale. Falleris; non radix, sed semen est civitatis vinculum coniugale. Seminis est, ut grani speciem undequaque perfectam, nec alio indigentem praeseferat, atque nonnisi extrinseco, ut aiunt, additamento in plantam germinet et pubescat. Non aliter sane quam vinculo coniugali societas coalescit domestica, plane perfecta, qua talis, nec alio hominum coetu indigens ut existat; ita quidem ut ob extimam, nec suapte natura penitus necessariam, cum familiis aliis relationem dumtaxat, civilis societatis pars ac veluti initium quoddam tandem evadat.

Ergo ne cuique hominum integrum fuerit connubium pro lubitu inire? Nihil mirum si natura lapsa, atque naturae iure contempto, vera denique religione quae sola naturae morbo medelam afferre potest, reiecta, societas tota perinde ac manca et infirma se habeat. Dices: nonne civitas hominibus singulis auxilio fuerit, quo facilius naturae ius hac in re norint et exequantur? Consilio fortasse, non vero praecepto. Etenim lugenda penitus experientia docuit, eas quae ab ethnicis in huiusmodi re editae sunt leges, plerumque subditos a recto tramite abduxisse, atque in putidos plane errores saepe admodum pertraxisse. An non connubii unitas, indissolubilitas, fides, tempore pene quovis et loco, ethnica lege temerata fuerunt? Impedimenta vero quod attinet, num quoad speciem, numerum et certitudinem apta unquam ratione statuta fuerint? De Indorum lege

dumtaxat loqui me praestat. Si sponsae traditionem et acceptationem excipias, nec non aliquos ex iis qui prohibiti sunt cognationis gradus, num vel unum impedimentum fuerit lege statutum, quod rationi vehementer absonum non appareat? Quod sane adeo verum est, ut lex perinde ac observatu impossibilis prohibitos cognationis gradus quod spectat, in praxi reiecta sit. Quare praeter patruos et avunculos, amitam et materteram, fratres et sorores, eorumque sobolem, ceteri omnes ceu gradus prohibiti non habentur, quidquid falso docuerint Indi iurisperiti, atque ex eis rescripserit Strange (l.c. §. 48.). Immo prout in praxi quotidie spectamus, nuptiae plane expetitae sunt, et honestissimae habentur quae contrahuntur a fratris filiis cum sororis filiabus, nec non a patruo cum nepte ex sorore. Adeo incerta, atque versatilis prorsus res sunt huiuscemodi impedimenta a civili Principe constituta! Insuper fidei maritali prorsus opponitur adulterium, quod tamen lex punit quidem in uxore (§. 30 et 24.), sed nullatenus in marito. Vinculi perpetuitatem violat lex, quae idem perrumpi statuit nedum ob uxoris infidelitatem (§. 224.), sed etiam eo ipso quo uxorem tribu moveri contingat (§. 29.). Unitatem denique labefactat polygamia, quam indica lex tuetur, non solum ob uxoris lasciviam, aut indolem pravam, aut morbum, aut sterilitatem, vel filiarum dumtaxat decem annorum spatio procreationem, sed etiam ob merum observantiae defectum erga maritum, immo ad ipsum mariti libitum (§. 32.). Quid quod polyandria (quod sane indelebili probro fue-

rit anglico imperio) cum indica lege iamdudum statuta fuerat in ora Malabariensi et Canariensi regione, tum anglico decreto plane probata est (§. 186. et Clause section 16. Reg. of. 1802.)? Huiusmodi ergo potestati civili, quae tempore quovis errorem docuit, connubii iura quod attinet, et in errorem pertraxit Indorum genus, connubia, Dei providentia, commissa esse contenderis?

At enim: Doctorum, quos inter eminet Aquinates, in re hac placita, imperio civili huiuscemodi impedimenta constituendi ius esse adstruere videntur. Quid quod Sancta Sedes in praxi ita plane sentire censetur? Obiectionem hanc sic plures reiiciunt. Doctoribus nostra sane communius haesit sententia. Qui vero contrarium asserere visi sunt, obiter ii, non ex professo, autumarunt: quod enim asserunt, nullo veri nominis momentorum pondere conficere valent; ac insuper quo pacto concilient sententiam suam cum eo iure, quod inter Christifideles Ecclesiae soli in rem hanc competit, adeo laborant ut ius istud ab Ecclesia principibus ademptum alii, alii vero a principibus Ecclesiae dimissum fuisse insulse docere coacti sint. Angelicum Doctorem quod spectat, citantur ex eo contra nos, praecipua ratione, nonnulla que prostant in II sententiar. et IV contra Gentiles. Sed immerito prorsus. Etenim S. Doctor loquitur solum, nunc quidem de remotis inhabilitatem inducendi rationibus, nunc vero de extrinseca inhabilitate. Quare ibidem expresse docet, inhabilitatem iure civili inductam, esse extrinsecam non absolutam. Insuper S. Doctor in Sententiar. dist. 42. sic ait:



S
R
P'
Q
A'
A
G
M'''
P'''
M''
P
M
P''
M'
Sponsus
Sponsa

FIG. I.



S.
P²
P'
P''
A'
A
a
P
M
P
m
Sponsus
Sponsa

FIG. II.



Stipes I.
Stipes II.
Ioannes
Franciscus
III.
IV.
V.
Ioannes
Maria
Margarita
Antonius
Ludovicus
Ioanna
Catharina
Franciscus
Francisca
Ferdinandus
Magdalena
Antonius
Nicolaus
Hieronyma
Ludovica
Franciscus
Maria
Ioannes
Sponsa
Sponsus

FIG. V bis.




Stipes I.
Stipes II.
Ioannes
Franciscus
Ioannes
Maria
Margarita
Antonius
Ludovicus
Ioanna
Catharina
Franciscus
Francisca
Ferdinandus
Magdalena
Antonius
Nicolaus
Hieronyma
Ludovica
Franciscus
Maria
Sponsa
Ioannes
Sponsus

FIG. V tertio

FIG. VI.






FIG. VIII bis




Fig. IX.

Fig. XII.





Fig. XIII.



iuscemodi enim Congregationum declarationes atque responsa, ea plerumque sunt, quae *doctrinae* lumen non vero *legis* compedes inferant iis, qui ea proposuerunt. Ex quo sane fit ut haudquaquam miremur discrepantiam quae Sacris Congregationibus obiecta quandoque est, et de qua loquitur Benedictus XIV. Atque propositum nostrum quod spectat, tametsi Congregationes pluries amplecti visae fuerint sententiam nostrae contrariam, attamen ad finem vertente saeculo elapso, Muzzarelli Sacrae Poenitentiariae pontificius theologus, opusculum Romae edidit, quo nostram propugnavit sententiam.

Quae cum ita sint, id solum dicendum superest, quid tandem iuris habeat, suapte natura, civilis potestas in subditorum connubia? Qua de re in mentem revocemus oportet quod initio docuimus; in matrimonio, praeter vinculum spectari posse partam ex eo familiam, quatenus ea civili inserta est societati, perinde ac toti pars et corpori membrum. Tum ratiocinari sic liceat. Vinculum matrimonii qua validum, spectato naturae iure, ab eadem divina mente statuitur et roboratur, qua civilis societas instituitur atque firmatur, et ita quidem, ut connubii contractus a contractibus aliis quibusque, specie summopere differat, ideoque nisi Deus speciali ratione ius Principi conferat in contractum eumdem, ius illi in contractus alios collatum, ad hunc quoque porrigi nequeat. Atqui mens divina, contraria sibi ipsi ratione quidquam velle non potest. Ergo connubii vinculum, quatenus iure naturae probatur, civili

societati exitio vel detrimento esse nequit. Nec itaque ea, quam suapte natura parit familia. Quae cum ita sint, sponte veluti sua consequitur, legem civilem, vinculum coniugale quod spectat, agendi dumtaxat in foro rationem statuere posse, qua connubium initum esse atque naturae iuri haud adversari palam existat. Tum civili gubernio onus incumbit condendi leges, quibus connubii iura, fides nimirum, unitas ac perpetuitas in tuto ponantur, nec non coniugibus eorumque soboli tutela, ut par est, praebeatur. Praeterea si in connubio ineundo ius alienum ita laesum fuisse contigerit, ut tametsi contractus iure naturae firmetur, merito tamen conqueratur quispiam de illata sibi iniuria, puta in abducenda sponsa, vel mentienda conditione etc. puniendus est quidem, pro culpae ratione, qui alienum ius fregit, sed eas quas iniit nuptias irritas efficere, iuris civilis esse nequit. Quae sane omnia firmari sic posse videntur. Principes ethnici se habent ad ius naturae, connubia quod attinet, ea ferme ratione qua christiani principes ad ius Ecclesiae. Atqui Pio IX docente (encyc. 19 Septembris 1852) civilis lex a christianis principibus lata, ibi incipere debet, ubi connubii validitas aut invaliditas Ecclesiae lege statuta est; ita quidem ut ab huiusmodi facto, de quo constituere nullatenus ei competit, proficiscatur necesse sit, ut de civili connubiorum iure et effectu constituat. Ergo lex ab ethnicis lata ibi incipere debet ubi connubii validitas aut invaliditas statuta est iure naturae. Quod si quaeras quinam sint eiusmodi effectus civiles de quibus ethnico

principi constituere liceat, praeter ea quae modo diximus, effectus huiusmodi ad quatuor species reducimus. Prima: ut familiam esse vel non esse constituatur, prout connubii vinculum firmum, vel invalidum esse, naturae iure constarit. Altera: ut quatenus familiam revera existere pateat, communi civium iure gaudere sinatur, tutela coniugibus praebeatur, confinia patriae potestatis, aut hereditariae successionis ordo, vel prolem emancipandi tempus, quatenus ea omnia naturae iure nonnisi generali ac indefinita ratione praescripta sunt, statuantur. Tertia: ut quatenus vinculum coniugale ineundo, aliena iura perfracta fuerint, nocens pro culpae ratione puniatur. Tandem, ut poenis propositis prohibeatur quidquid contra connubii fidem, unitatem atque perpetuitatem, fieri vel tentari contingat. At surdo canis: qui enim societatis civilis gubernacula tenent, naturae iura probe nosse parum admodum curant, iura propria perperam interpretantur et exaggerant; finem vero eius quem gerunt in subditos cives primatum esse putarint, non quidem pacem atque iustitiam inter eos procurare, ope cuius commodius finem ultimum quique suum adipiscatur; sed omnia ad commodum suum suamque utilitatem referre; vel saltem nil maius in universum esse arbitrantur, quam materiale incrementum, idest materia conflatas divitias ac voluptates, societati, quoad eius fieri possit quam maxime comparare.

Sententiam nostram de nullo civilis imperii iure quoad impedimenta connubium dirimentia constituenda, confirmat Manuale ad Sacramenta

Ecclesiae ministranda, editum Nangasaquii a. 1605 ubi p. 147 haec leguntur: « Illa sola matrimonia in infidelitate contracta irrita censenda sunt, quae cum lege naturali pugnant, quemadmodum pugnat pluralitas uxorum et repudium primae, atque coniugium contractum cum sorore, cum noverca, aut multo magis cum matre aut filia, nepte aut avia. Unde ista matrimonia infidelium cum christiani fiant, irrita iudicantur. Quae vero lege solum Ecclesiastica prohibentur, cuiusmodi sunt matrimonia in secundo aut tertio gradu consanguinitatis lineae transversae, ea rata fieri, cum uterque coniux baptizatur, canones sacri statuunt. »

§. II.

De impedimentis speciatim.

SECTIO I.

DE CONSANGUINITATE, AFFINITATE, PUBLICA HONESTATE, ET COGNATIONE LEGALI.

CASUS

I. Quaeritur quo gradu invicem distent, et quam iterato sponsus et sponsa in subiecta generis descriptione? (Fig. I.)

Obliquae lineae generationes,

Annulorum iuxtapositio connubia indicant.

II. Quaeritur quoto et quam iterato consanguinitatis gradu invicem distent sponsus et sponsa in hac stirpium serie? (Fig. II.)

III. Quaeritur quoto et quam iterato consanguinitatis gradu invicem distent sponsus et sponsa, nec non sponsa et Cyrillus in Fig. III.

IV. Quaeritur quo et quam iterato gradu consanguinitatis invicem distent (Fig. IV) S et S^1, nec non O et Q. Scilicet S et S^1 primis nuptiis progenuerant, alter quidem O alter vero Q. Cum dein sermo esset de gemino connubio iungendo, altero nempe S inter et S^1, altero autem O inter et Q, quae et quot connubiis eiusmodi obessent impedimenta scrutari necesse fuit.

V. Pyrrhus Corradus sponsum et sponsam, in obiecta generis descriptione (Fig. V), nonnisi quater iterato quarto invicem distare carnalis vinculi gradu contendit. En eius verba: « Ioannes et Maria ultimo loco positi, sunt in quadruplici consanguinitatis gradu, quia Franciscus et Ludovica genitores Ioannis, cum sint in tertio gradu consanguinitatis coniuncti, contraxerunt, praevia dispensatione,

IOANNES stipes			FRANCISCUS stipes		
Ioannes	Margarita	Ludovicus	Maria	Antonius	Ioanna
I	I	I	I	I	I
Catharina	Francisca	Magdalena	Franciscus	Ferdinandus	Antonia
II	II	II	II	II	II
Ludovica	Nicolaus	Franciscus	Nicolaus	Franciscus	Hieronyma
III	III	III	III	III	III
Ioannes Sponsus	Maria Sponsa	Ioannes Sponsus	Maria Sponsa	Ioannes Sponsus	Maria Sponsa

super eodem tertio gradu consanguinitatis, et hoc quoad duplicem quartum gradum ex stipite Ioanne. Quo vero ad alium stipitem Franciscum, sunt ipsi Ioannes et Maria similiter in duplici quarto consanguinitatis gradu, quia Nicolaus et Hieronyma genitores Mariae contraxerunt pariter praevia dispensatione, etiam in tertio gradu consanguinitatis. » De dispensationibus lib. VII.

VI. Tullius Missionarius non ita pridem contendebat sponsum et sponsam in obiecta stirpium serie (Fig. VI) decem consanguinitatis gradibus invicem distare, sequenti distributis ratione. Bis secundo, quater tertio, et quater quarto. Primum ex se patet. Geminum aliud sic confici aiebat. Fingamus sponsum hoc modo alloqui sponsam. (In figura, h indicat virum (*homme*) et f uxorem (*femme*) ipsissima enim Tullii verba latine reddita refero.)

1. Avus meus paternus, et avus tuus paternus primo distabant gradu. Nos ergo tertio.

2. Avus meus paternus, et avus tuus maternus, stipes.

3. Avus meus paternus, et avia tua paterna secundo gradu distabant. Nos ergo quarto.

4. Avus meus paternus, et avia tua materna stipes sunt.

5. Avia mea paterna, et avus tuus paternus secundo. Nos ergo quarto.

6. Avia mea paterna, et avia tua paterna primo. Nos ergo tertio.

7. Avia mea paterna, et avus tuus maternus, stipes sunt.

8. Avia mea paterna, et avia tua materna, stipes.

9. Avus meus maternus, et avus tuus paternus, stipes.

10. Avus meus maternus, et avia tua paterna, stipes.

11. Avus meus maternus, et avus tuus maternus distabant invicem primo. Nos ergo tertio.

12. Avus meus maternus, et avia tua materna secundo. Nos ergo quarto.

13. Avia mea materna, et avus tuus paternus, stipes.

14. Avia mea materna, et avia tua paterna, stipes.

15. Avia mea materna et avus tuus maternus, secundo. Nos ergo quarto.

16. Avia mea materna et avia tua materna, primo. Nos ergo tertio.

VII. Quaeritur quo et quam iterato gradu invicem distent sponsus et sponsa in obiecta fig.VII?

VIII. Androgenes Missionarius non ita pridem acriter contendebat, sponsum et sponsam in obiecta fig. VIII, distare invicem 15 gradibus ita divisis ut decies iteraretur quartus, quater tertius, et semel existeret etiam secundus. Nimirum cum figurae specie deceptus, tum a remoto stipite simul et proximiori cognationis gradus dimetiens, rem ita constituebat.

Connubia ostendunt numeri iidem, ita ut, puta, h^1 et f^1 sint vir et uxor, h *(homme)* f *(femme)*.

Sponsi (h^6) avus paternus (h^2) a sponsae (f^6)	avo paterno (h^1) distat 2° gradu. A sponsa igitur sponsus	4°
»	avo materno (h^3) primo	3°
»	avia paterna (f^1) primo	3°
»	avia materna (f^3) secundo	4°
» . . . avia paterna (f^2)	avo paterno (h^1) secundo	4°
»	avia paterna (f^1)	4°
»	avo materno (h^3)	4°
»	avia materna (f^3) primo	3°
» . . . avus maternus (h^1)	avo paterno (h^1) nullo	—
»	avia paterna (f^1) secundo	4°
»	avo materno (h^3).	4°
»	avia materna (f^3).	4°
» . . . avia materna (f^1)	avo paterno (h^1)	4°
»	avia paterna (f^1) nullo	—
»	avo materno (h^3) primo	3°
»	avia materna (f^3) secundo	4°
Insuper sponsus ex parte matris per stipitem proximum h^1 f^1		2°

Summa itaque fuerit . . . Decies quarto.
Quater tertio.
Semel secundo.
15.

IX. Sponsum a sponsa in figura IX qua, ut patet, sorores octo ex uno stipite, octo fratribus ex stipite alio, nupsisse praefertur, duo supra tricesies repetito quarto consanguinitatis gradu, distare affirmabat non ita pridem in australi Indiae plaga Rogerius; sexdecim vero Crapundius; octies tandem Thomasius. Sic autem suam quisque tueri conabatur sententiam.

Rogerius aiebat: M^1 sponsi Abavus a sponsa distat quater quarto consanguinitatis gradu. M^2 sponsi Abavia tantumdem. Ergo sponsi avus A a sponsa distat octies reiterato eiusdem carnalis vinculi gradu. Atqui sponso sunt duo Avi et totidem Aviae, qui omnes eadem prorsus ratione distant a sponsa. Sponsum itaque a sponsa duo super triginta reiterato quarto sanguinis gradu distare necesse est.

Crapundius vero rem ita constituebat. Octies reiterato quarto carnalis consanguinitatis gradu, sponsorum quisque a duplici, eoque communi stipite, distat. Ergo sexdecim iterato gradu eodem invicem sponsi distare dicendi sunt. Re sane vera: finge sponsum esse Q qui per Abavum et Abaviam M^1 et M^2 dumtaxat ad eosdem cum sponsa stipites reducatur. Sponsa a stipite utroque, ideoque a sponso, octies reiterato quarto cognationis gradu distaret. Atqui rationi dissonum esse videtur sponsum a sponsa eadem ratione distare sive per duos Maiores dumtaxat, sive per octo ad communes cum sponsa stipites reducatur. Porro si sponsorum alteruter dumtaxat per octo Maiores ad communes cum sponso altero stipite

referretur, sponsi invicem octies reiterato carnalis vinculi gradu distarent. Cum ergo sponsus uterque per octo Maiores ad stipites referatur communes, sponsos invicem sexdecim repetito quarto, distare necesse est. Quae si non arrideant, frustra stipitis utriusque sanguinem in sponsorum alterutrum, non per unam, sed per plures lineas dimanasse putaveris.

Thomasius ambagem omnem evitans, recta sic graditur. In linea collaterali inaequali, quo gradu remotior distat sponsus a stipite, eodem a sponso altero procul se habet; in aequali vero, quo gradu sponsorum alteruter distat a stipite, eodem a sponso altero distat. Atqui in subiecta figura sponsus uterque aeque distat a stipite utroque communi, octies reiterato quarto carnalis vinculi gradu. Ergo eadem plane ratione alter ab altero procul esse dicendi sunt.

X. Firandus casum fig. IX propositum iterum iterumque mente revolvens, quaerebat, utrum impedimenta omnia sublata censeantur eo ipso, quo geminum impedimentum sublatum sit? Cum enim impedimentum omne, aiebat, ex gemina tantum familia oriatur, si geminum ex utraque familia ortum impedimentum auferretur, impedimentum omne simul ablatum iri dicendum esset. Quod sane ut lucidius exponeret, quaestionem addebat, num dispensatio facta super impedimenta, impedimenta deleat in ipsa eorum veluti fonte, vel in eo dumtaxat cui dispensatio impertitur? Si primum dicas, aiebat, unicam dispensationem impedimenta omnia sustulisse dixeris; si alterum, tot

requiruntur dispensationes quot sunt impedimenta mutuo distincta.

XI. Henricus et Facundia (h et f^1), Consobrini (Fig. X) gradu consanguinei secundo, prima vice connubio iuncti, ille quidem cum Felicitate (f) haec vero cum Hercule (h^1) prolem genuerant Plautum (p) alter, alter Homerum (o). Vita functis Hercule simul et Felicitate (f et h^1), connubio invicem copulati Henricus et Facundia (h et f^1), prolem genuere Virgilium (v). Trina ista sic genita proles prolem genuit aliam; Homerus quidem Calliopem (c), Virgilius Dantem (d), Plautus denique Terentianam (t), eaque pubere effecta, Homerus Terentianam, Dantes vero Calliopem uxores ducere cupiunt. Quaeritur: quaenam et quot dirimentia obsint connubiis huiusmodi consanguinitatis impedimenta?

XII. In subiecta stirpium descriptione undecima (Fig. XI) parens quidam S septenam habuit prolem, filios nimirum tres, qui romanis numeris indicantur, et quatuor filias, quae arabico numero distinguuntur. Sororum filiae, quod in regione hac more receptum est, ac fere dixerim legis vim habet, fratrum filiis sunt desponsatae. Excipe filiam unam (4) quae extraneo nupsit, sed cuius filia mater est sponsi. Quaeritur itaque quoto consanguinitatis impedimento, ni dispensatio fiat, dirimatur sponsi cum sponsa connubium?

XIII. Briseus et Bernardus quaestionem, studiose illo affirmante, hoc vero animose negante, iamdudum disputavere, utrum ex una eademque copula multae Amasii cum Amasiae cognatis affinitates oriri possent an non?

XIV. Virenus ethnicus Ammaniam ex sorore neptem, uxorem duxerat, cum, Spiritus Sancti gratia commotus, una cum Sponsa Christi fidem amplectitur. Mox ut connubio suo, christianorum more, benedicatur expetit. At Missionarius, cum de connubii validitate, tum de dispensationis faciendae necessitate non parum anceps animo haeret.

XV. Brunus et Salesius Missionarii ambo simul Trichinopoli in Indiis commorabantur, cum Senafacies et vita functae uxoris eius soror Felicitas, ethnici ambo atque iamdudum concubinatu invicem copulati, illorum ductui sese committentes, catechumenatum ingressi sunt. Probe fidei rudimenta didicerant atque iam iam baptismo expiandi erant; cum ob nimiam adeundi Vicarium, dispensationis super affinitatem petendae causa, difficultatem (cum enim baptisma diutius sine incommodo plane gravi differri non posset, neophytos mox ut baptisma susciperent, rite connubio iungere necesse penitus videbatur), de agendi in huiuscemodi rerum adiunctis ratione, Missionarii in consilium iere. Matrimonium ineant, ait Brunus, pridie diei qua baptismo sunt expiandi; impedimentum omne sponte sua sic eluctabitur. Optime excogitatum, reponit Salesius, et Bruni consilio usus, rem sine mora per Catechistam confici curat.

XVI. Lazarus neophytus matrimonium inire petit cum uxoris (qua, infidelis existens, orbatus fuerat) consobrina Patercula baptismo expianda. Leonidas Missionarius connubium istud dispensatione indigeat nec ne, anceps animo haerens, mo-

ram connubio infert, quam pariter, et, nescio cur, sponsam brevi fastidiens Lazarus, uxorem ducere cupit mulieris cuiusdam, quacum ethnicus rem habuerat, sororem Virenam, quae de baptismo suscipiendo non abnuit. Morae iterum nuptiis est Missionarius dubio perplexus. Eapropter animo mire levi vir Lazarus, novos amores incipit, atque nuptias inire postulat cum Oculina sorore cuiusdam, quacum matrimonium iniisse se nunquam, sed matrimonii praeambula quaeque in infidelitate perfecisse fatetur. Ocius Leonidas litteras dat ad Aristaeum Missionarium alterum, et quidem seniorem, ab eo petens num publica ex sponsalibus in infidelitate contractis genita honestas, dispensatione indigeat quoad Lazarum an non? Nequaquam, reponit Aristaeus; huiuscemodi enim impedimenta in infidelitate non contrahuntur. Vix Aristaeanum oraculum in Leonidae solatium advenerat, cum hic casu rescivit, Lazarum matrimonii nomine, connubii dixisse consummationem, quae locum habere nequierat, quod uxor vix eo, qui regionis more receptus est nubilitatis ritu absoluto, repente asiatico morbo correpta, vitae nuncium remiserat. Mora itaque nulla intermissa Leonidas litteras denuo dat ad Aristaeum rogans, num ex matrimonio rato (dicere debuisset *legitimo*), quod Lazarus ethnicus inierat, Lazarus ipse neophytus prohibeatur quin Oculinam connubio sibi iungere valeat. Macte, reponit iterum Aristaeus, nonne dixi huiusce generis impedimenta in infidelitate non contrahi? Responso hoc ad Leonidam vix delato, Oculina colubri morsu infecta vitae

citissime valedicit. Quare Lazarus uxorem ducere petit viduam fratris quae Christi fidem nuperrime amplexa est. Leonidas gemina Aristaei responsione animo erectus, de nuptiis ineundis Lazaro annuere festinat.

XVII. Merulus christianus rem habuit cum Minatci ethnica, quae marito prolem iampridem dederat Lucinolam. Septimus exinde annus elapsus vix erat, cum Merulus uxorem ducere cupiit Minateiae sororem Tulliam, quae a Christi fide amplectenda haudquaquam aliena videbatur. Simplicianus Missionarius mulieri, fidei rudimenta satis edoctae, baptisma contulerat, cum de dispensatione super affinitatem facienda pro Merulo supplices ad Episcopum dare litteras cogitans, Claudium Missionarium alterum hospitio recipit, atque cum eo de Meruli negotio sine mora colloquitur. Nullum penitus est impedimentum, festive ait Claudius; cum enim sponsa contrahere illud in infidelitate nequivit, tum ex neutra gignitur parte impedimentum, quod ex utraque gigni non potest. Simplicianus Claudii sententiam refutare non valens, Merulum, haud postulata dispensatione, cum Tullia matrimonio iungere paratissimus erat, cum sponsa repente obiit. Claudii tamen sententiae docilem haud frustra se praebuit Simplicianus. Merulus enim Lucinolam baptismo regeneratam petit uxorem; Simplicianus vero de nuptiis annuere festinat.

XVIII. Gervasia nuptui tradita Hernando cum aetatis annum duodecimum vix attigisset, individuam cum eo vitae rationem inire visa non est,

quippe priusquam nubilitas eius menstrua purgatione pateret, Hernandus obierit. Haud multo post parentes de Gervasia Hernandi consobrino nuptui tradenda pacti invicem fuerant, cum Luitprandus Missionarius a Vicario apostolico dispensationem super impedimentum publicae honestatis ex matrimonio rato, fieri postulat. Vicarius reponit potestate instructum se quidem esse dispensandi quoad honestatem ex sponsalibus ortam, sed quoad eam quae ex connubio paritur rato, *in facultatum pagella* ne verbum quidem haberi: in ea se tamen esse sententia, potestatem dispensationem largiendi quoad affinitatem, satis superque esse pro casu; quippe quia S. Thomas, nec non ipsum Datariae Tribunal, ex connubio rato affinitatem oriri luculentissime doceant.

XIX. Constantius ethnicus, viginti sex annos natus, tribu Parias clam, eo meliori modo quo potuit (rem enim Tribules adversati fuissent si nossent, et tametsi ut Constantius mulieri concubinus existeret forte non aegro animo connixissent, tamen ut ei maritus evaderet nunquam consensuri fuissent), connubium, seu individuam vitae rationem, absque intentione ad alia migrandi vota inierat cum Ariminia noverca quidem, sed decem et octo vix annos nata atque ob Constantii vita functum parentem, viro non ita pridem orbata. Quo tribules ethnicos facilius eludat, simulque christianorum contribulum gratiam sibi conciliet, de baptismate suscipiendo una cum Ariminia, et inde palam cum ea matrimonio ineundo consilium capit. Rem omnem Catechistae secreto aperit; isque

Missionario deferre festinat. At is, qui fieri potest, miratus exclamat, ut filius, parentis uxori maritus existat? Hisce Constantius perterritus in infidelitate pariter et Ariminiae societate manere pergit. Decennio exhinc vix elapso, Ariminia vita discedit. Tum Constantius ex tribulum omnium consensu uxorem ducit Gratianam, quacum Constantii parentem rem habuisse quondam susurrabatur. Post annum ab huiuscemodi nuptiis, coniux uterque de Christi fide amplectenda serio admodum cogitat. Res in notitiam venit Catechistae, qui de ea monito Missionario, istius iussu Constantium atque Gratianam certiores reddit, eorum baptismo pariter atque connubio nihil obesse.

XX. Duriolus ethnicus ab uxore Marcanda desertus, Christi fidem amplectitur. Uxorem peperisse prolem adulterinam certo quidem rescivit, sed uxorem ipsam reperire non valet. Quamobrem consecuta, quoad praemonitiones, dispensatione, novas cum Anna Christifideli nuptias inire festinat, vix enim vicesimum aetatis annum attigit. Post quatuordecim exhinc annos, Anna vita discedit, eodemque fere tempore Marcanda nedum reperiatur, sed eam una cum filiabus, tredecim altera, altera vero quindecim annos nata, suscepisse baptisma palam existit. Ocius Duriolus de connubio cum puellarum alterutra, utraque enim innupta est, incundo, serio incipit cogitare. At consilium Missionario pandit, qui fas id esse non posse, decretorie reponit.

XXI. Earum quas S. Congregatio largiri solet Vicariis apostolicis facultatum, iique cum Missio-

nariis non raro communicant, una est sequens: « Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis gradu et affinitatis simplici et misto cum secundo, et etiam in secundo solo, dummodo non attingat primum. » Facultatem hanc non ita pridem Rabidus Missionarius intelligendam ita esse dicebat, ut verba illa *dummodo non attingat primum*, affinitatem pariter et consanguinitatem respicerent. Quod sane quomodo mente caperet palam fecit, cum Indus quidam Christifidelis ad eum venit, mortuae uxoris ex sorore neptem, uxorem ducere cupiens, atque dispensationem super affinitatis impedimentum expetens, Rabidus enim dispensationem huiusmodi Vicario apostolico reservatam esse affirmavit. Geminus vero Missionarius alter, hanc facultatis interpretationem, inscitam et ineptam vocare non dubitabat.

XXII. Missionarium adierant Constantinus eiusque filius Constantius connubio iungendi, ille quidem cum Paula non ita pridem orbata viro quem sponsi genitor longe ante in filium adoptarat; hic vero cum Paulae filia Eustochia. At Missionarius anceps haerebat, num gemino huic connubio dirimens cognationis legalis impedimentum obesset an non.

XXIII. Nicephorus adolescens non ita pridem, cum schisma Goanum in regionibus hisce vigeret, tametsi invitis parentibus qui Goani Presbyteri partes pervicaciter sectabantur, Vicario apostolico plane subesset; connubii tamen ineundi occasione, parentum improbitati obsistere reformidans, matrimonium coram Presbytero intruso,

invalide prorsus agere se intra se reputans, nuptias inivit. At non multo post facti poenitens, male sociatam uxorem Pomeliam deserit, et quo facilius parentum vexationi subducatur, peregre proficiscitur. Mox Pomelia vita discedit, atque biennio post, extraordinaria iurisdictione Goano Antistiti per Summum Pontificem impertita, Nicephorus in patriam reversus ex communi tribulum consensione, Tulliolam Pomeliae, tertio cognationis carnalis gradu consobrinam, uxorem brevi ducturus, Missionario rem aperit, qui anceps animo haeret, num publica honestas connubio obsit an non.

CASUUM RESOLUTIONES

Ad I. Sponsi genitor P. a stipite sibi cum sponsa communi S, tertio procul est gradu. Cum ergo sponsa a stipite eodem distet quarto gradu, quarto pariter gradu a sponsa sponsus distare dicendus est. Sponsi genitrix M ex parte patris G a communi sibi sponsaeque stipite P', secundo procul est gradu, ex matre A a stipite communiori et proximiori sibi sponsaeque S, tertio producitur gradu. Inde igitur sponsus quarto simul et tertio distat a sponsa: sponsi itaque quarto bis iterato, nec non tertio distare invicem gradu dicendi sunt. Quae sane omnia ut clarius pateant, pauca nonnulla subiicere praestat de consanguinitate. « Consanguinitas est vinculum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum » (S.Th. sup. q. 54. a.1.). Praecipua difficultas in regionibus

hisce, quoad huiuscemodi vinculum dimetiendum, oritur ex eo quod, cum saepissime consobrini, fratris filii cum filiabus sororis, nec non avunculi saepe cum neptibus connubio iungantur, iterata consanguinitas ex eodem in prolem derivatur. Quaerebatur itaque, non ita pridem, utrum revera iteratos consanguinitatis gradus ad prolem transmittant quandoque parentes, et quomodo huiusce generis iterationem intelligere debeamus? Primum quod attinet, consanguinitatis gradus in prole dinumerandi sunt, non solum ex parentum alterutro, sed distincte ex utroque. Nam consanguinitatis est « quasi principium carnalis propagatio » S. Th. ibid. a. 1. Atqui carnalis propagatio ex uno eodemque stipite existit quandoque, non solum ob alterutrius, sed plane ob utriusque parentis generationem. Ergo. Re sane vera « debet gradus consanguinitatis in hac linea (transversa) computari per comparationem ad unum principium, ex quo propagatur » S. Thomas ib. a. 2. c. Porro comparatio haec fieri oportet quandoque non solum parentum alterutro, sed utroque distincte parente medio. Nam « consanguinitas est in quantum multa communicant in tali virtute (generantis nimirum), ex uno in multos per propagationem deducta » S. Th. ib. a. 1. c. Atqui huiuscemodi virtus cum prole a parentum alterutro communicata, quemadmodum integrum atque perfectum efformat impedimentum, ita minime obest quominus iterato per alium communicetur. Ergo quatenus cum prole ab utroque parente communicatur, iteratum in ea gignat oportet impedimentum. Quod sane firmatur

*

pariter et explanatur sic: « Descensus communiter sumptus, attenditur secundum quamlibet consanguinitatis lineam, quia carnalis propagatio, ex qua vinculum consanguinitatis trahitur, descensus quidam est... quia per propagationem quodammodo pater descendit in filium » S. Thomas ib. a. 2. c. et ad 3. Atqui descensus iste stipitis communis et proximi in progeniem, simplex et unicus est, si per parentum alterutrum fiat, duplex vero, seu iteratus, si per parentem utrumque. Insuper « Ecclesia suo statuto non facit, quod aliqui sint vel non sint consanguinei: quia secundum omne tempus aequaliter consanguinei remanent; sed facit quod carnalis copula licita sit vel illicita, secundum diversa tempora in diversis gradibus consanguinitatis » S. Thomas ib. q. 34. a. 4 ad 3. Ergo parentes, utcumque dispensationem adepti fuerint, omnia quibus tenentur cognationis carnalis vincula in prolem transmittant necesse est. At enim: fiunt una caro. Quid inde? commistio corporum, personae utriusque commistionem non parit. Porro consanguinitas fit generatione, cuius obiectum et terminus est persona; « homo enim generat sibi simile » S. Thomas 1. q. 118. ad 4. et alibi; quare tametsi ex corporum commistione plus quam cognatio unius sponsi cum alio exoriatur, quaedam enim identitas progignitur; neutrius tamen ad cognatorum quempiam respectus, vel leviter immutari dicendi sunt. Quae sane omnia firmare est comparatione a gemino rivulo ducta, qui tametsi eodem, ut in lacum diffluat, ostio coeat, aquam tamen quisque suam deducit, qua lacus plenior

sane fit, quam si rivuli unius dumtaxat aquam adeptus esset. Tandem, finge parentum alterum, puta, primo, alterum vero secundo (quod in regionibus hisce, ut supra dixi, non raro accidit) consanguinitatis gradu a stipite, ideoque a lineae transversae cognatis qui longius non distent, procul haberi: quo quaeso gradu a cognatis eisdem distabit illorum proles, nisi tertio simul atque secundo distare gradu dicatur? Cur enim parentum alium alii in huiusmodi praeferas re, causa nulla profecto fuerit. Stat ergo quod initio statuimus, cognationis carnalis gradus, ad prolem iterato quandoque, atque ratione varia, transmitti. Quod sane testatur etiam antiquissimum illud quod adagii instar se habet « Mutat nupta genus, sed generata gradum. »

Quaestionem alteram, quomodo nempe graduum iteratio vel multitudo intelligi debeat, brevi sic dirimere est. Cognationis carnalis, quae consanguinitas nuncupatur, gradus quosque per parentes in filios derivari, indubia res est; at, non ut quibus filii eorumque proles, *qua tales,* invicem distent, sed quibus ab aliis aliunde, et *qua aliunde,* progenitis in eadem familia discedant. Postremum patet ex iis quae ad priorem quaestionem ediximus. Primum vero ex eo facillime comprobatur, quod quemadmodum sensus omnium communis, de iis, qui fratres germani simul et uterini invicem sunt, consobrinis vocandis ne cogitat quidem, ita stipes *proximus* et *communis*, praeter quem nullus est alius unde consanguinitatis distantiam metiri necesse sit, quoad filios eorumque

prolem invicem tantum spectatos, eorum est parens uterque. Atque ut huiuscemodi res magis magisque pateat, subiectam figuram aspice (Fig. XII), in qua sororum filiae fratrum filiis nuptui traditae sunt. A et B secundo distant invicem gradu. Quis porro eos quarto etiam, et quidem iterato, distare asserat quia tantumdem a stipite remoto, quàmvis intra limites, quibus impedimenta ecclesiastica continentur, et utrique sponso communi, procul existunt? At enim: consanguinitas id est sanguinis identitas (S. Th. q. 54. a. 4. c.) nonne maior est A inter et B, si non solum in proximo stipite S′ M′, sed etiam in remotiori S coierint? *Intensive* quidem non *dimensive*. Sic enim gemino considerare est sub respectu cognationem carnalem (S. Th. ib. a. 2 ad 5.). Cur ergo non dimensive si intensive? An non quoad eos qui aliunde progeniti sunt in eadem familia, fratrum cognatio ideo dimensive augeri vel iterari censetur quod intensive augeatur? Non dimensive, etiamsi intensive, quia sic Ecclesiae lex est. Re sane vera « cognatio consanguinitatis carnalis, ait Busembaum et cum eo S. Alphonsus l. 6. n. 1029 atque Doctores omnes, est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium. » Vel ut ait Voit (de matrim. n. 1280) « Consanguinitas est propinquitas sanguinis inter personas, quae ab eodem stipite, sive progenitore propinquo immediate vel mediate descendunt. Dixi *ab eodem stipite propinquo*, non a quovis remoto, alias omnes posteri Adae essent inter se consanguinei.» Insuper si a proximo simul et remoto stipite, consanguinitatem metiri necesse

esset, consanguinei dicendi essent non solum qui *immediate* vel *mediate* ab eodem stipite oriuntur, sed etiam qui *immediate* simul et *mediate*, puta, in supradicta figura, frater et soror F et G, qui immediate a parentibus et mediate ab abavo eisdem sunt procreati. Quod si huiusce rei ampliorem rationem quaeras, haud insulse fortasse dixerim, nihil esse cur cognationem carnalem, qua impedimentum fratrem inter atque sororem, Ecclesiae lex addat. Ideo enim cognatio, qua impedimentum Ecclesiae iure statuitur, quod iure naturae definita satis ratione minime prohibeantur a connubiis invicem ineundis nonnulli, qui propterea quod ob mutuae conversationis necessitatem, ex familiari ortam necessitudine, inter se iam cohaereant, periculum maius subirent si sperata venerea commistio amorem adderet ei quem identitas sanguinis parit amori (V. S. Thomam 2. 2. q. 154. a. 9.). Porro qui ab uno eodemque parente gignuntur, qua tales, quemadmodum satis perspicua, ne dicam sensu ipso comperta ratione, iure naturae prohibiti sunt a connubiis invicem contrahendis, ita eorumdem conversationis mutuae necessitas non augetur ex eo quod a parentibus sint progeniti qui ante connubium sanguine iungebantur. Quae sane res alia quoque via sic declaratur. Consanguinitatis impedimenta constituit natura determinato iure vel indeterminato. Atqui Ecclesia huiusce generis impedimenta constituit, ut indefinito naturae iuri suppleat. Ergo ob unam eamdemque causam iure naturae determinato atque Ecclesiae lege, impedimentum constitui rationi non congruit. Porro nihil, praeter generationem,

causae est, cur frater et soror (germani simul et uterini, quia si alterutro modo dumtaxat primo invicem gradu cognati essent, possent ex alio capite, secundo etiam vel tertio iungi; unde apposite supra dixi, *qua tales, qua aliunde, invicem sint cognati*. Ergo iure naturae satis determinate illam ob causam vetante, ne frater et soror connubio invicem copulentur, nulla superest ratio cur Ecclesia eorumdem connubio, eadem de causa, novam impedimenti rationem addat.

Obiiciunt nonnulli D. Carrierium qui (edit. 2. p. 151-2.) sic loquitur: « Aliquando adest consanguinitas ex duplici capite: quod accidit, vel ex diverso stipite, ut si duo fratres uxores ducant duas consobrinas; vel ex eodem stipite, si vir ducat uxorem sibi consobrinam. Tunc eorum filii ex duplici capite erunt cognati. In eo casu necesse est, utrumque exprimere; alioquin irrita erit dispensatio. Ita declaravit Benedictus XIV constit. *Etsi matrimonialis* §. 6. Bull. t. IV.» Ut verba haec Carrierii probe intelligas vide ante omnia quod Benedictus XIV loco citato docet:« Etsi matrimonialis causa... inter Violantem Iosephum... et Ludovicam Franciscam... ita decisa fuit quod matrimonium huiusmodi irritum ac nullum esset... ea prorsus ratione, quod super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis..... haud satis derogatum fuisset etc. » Non agebatur hic, nisi de quarto gradu iterato. Ergo non erat quaestio de secundo, prout sane fuisse deberet, si casus iste idem esset ac alius de quo loquimur, quique prostat in figura XII supra descripta. Insuper verba Carrierii *ex duplici capite cognati erunt*, ita ne

interpretanda, ut dicamus eorum filii ex duplici capite cognati erunt *ad invicem*, vel potius quoad *consanguineos alios* qui ex alterutro capite sint prognati? Nulla plane ratione cogimur priorem sensum amplecti. Posterior vero apprime congruit modo quo res sensu omnium communi constitui videtur. Unde D. Perocheau casum eumdem aliter sic proponit: « Quando, licet unus sit stipes, ab hoc stipite descendentes inter se matrimonium ineunt, v. g. si quis ducat suam consobrinam, liberi ex hoc matrimonio nati duplicem habebunt consanguinitatem cum personis familiae patris, nempe, et cum personis familiae matris; nempe unam consanguinitatem ex parte patris, et aliam ex parte matris. »

Ad II. Stipites sponso utrique communes et proximi, sunt P^2 P′ P″, ab eisque sponsus uterque aequaliter distat. Atqui sponsus per PA distat a P^2 tertio, per Pa a P′ tertio, per MR a P″ itidem tertio. Ergo sponsi ter iterato tertio gradu invicem distant.

Ad III. Sponsi repetito tertio distant invicem gradu. Si sponsus esset Cyrillus, intensive, non dimensive, minor alterius ab altero esset distantia.

Ad IV. Ut innotescant impedimenta quibus connubium S inter et S′ dirimitur, adverte non solum consanguinitatem, sed affinitatem quoque eidem obesse. Tria vero sunt inquirenda ut primam casus partem resolvas; quibus si quartum addas, altera etiam casus propositi pars enodabitur. Sit ergo:

I. *Quomodo sint consanguinei S′ et S?* Stipes utrique communis et proximus est N. Porro S′ distat ab N per P′ R X′ quarto gradu; per P′ m′ tertio gradu; per M A X′ quarto gradu; per M X″ Y′ pa-

riter quarto gradu. Ergo S′ distat ab S ter iterato quarto, et semel tertio gradu.

II. *Quomodo sint consanguinei D et S?* Simplici plane ratione, hoc est, ex uno parente, uno avo, unoque abavo ad stipites communes et proximos cum S, N X scilicet, D reduci conspicimus. S vero ascendendo per P Q′ H quatuor gradibus ad N; per M′p tribus ad X assurgit: per M′ m rursus ad N pariter tribus pertingit. Ergo quarto, nec non bis tertio gradu D distat ab S; ideoque totidem affinitatis gradibus distat S ab S′.

III. *Quomodo sint consanguinei S′ et Y?* Tres sunt stipites utrique communes et proximi. Sursum eundo per P′ stipes occurrit m′ R a quo S′ et Y aeque distant secundo gradu; per M A ad stipitem pervenimus X′, a quo S′ et Y tertio procul sunt gradu. Tandem per M X″ Y′ stipitem obviam habemus N, a quo S′ et Y quarto sunt cumulato, nedum mixto, cum tertio gradu remoti. Ergo S′ et Y secundo, bis tertio, et quarto consanguinitatis; S vero et S′ totidem affinitatis gradibus mutuo dissiti sunt.

IV. *Quomodo sint consanguinei D et Y?* Stipes utrique communis et proximus est N, ad quem D quidem simplici via, et quatuor gradibus assurgit; Y autem gemino itinere, altero per m′ tribus, altero per R X′ quatuor gradibus ducitur. Ergo D ab Y tertio cumulato cum quarto invicem gradu distare censendi sunt.

Quae cum ita se habeant S′ cum S connubium, tertio nec non triplici quarto consanguinitatis, simulque secundo, quadruplici tertio, atque duplici quarto affinitatis gradibus, ni dispensatio intercedat, dirimitur. O autem et Q tertio nec non sex

quarto consanguinitatis gradibus ne invicem nubant prohibiti existunt.

Ad V. Gemina posset oriri figurae species ex ea quam Corradus exhibet generis descriptione. Altera qua Ioannis stipitis I proles, connubiis iuncta perhibeatur cum prole Francisci stipitis II (fig. V bis); altera vero qua proles illa nullatenus cum prole hac foedere iuncta ostendatur (fig. V tertio). Prior illa ex eo prima fronte videtur Corradi menti conformior quod Ioannis prolem duobus viris atque muliere una, prolem vero Francisci viro uno et duabus mulieribus constare ponatur. At si ita res esset, Corradus a veritate procul abiret. Re sane vera: utriusque parentis carnale vinculum omne in filios manare ponitur, vel ita quidem ut hi tametsi fratres sint germani simul et uterini, tamen ceu consobrini quoque habeantur (seu quod idem est, non a stipite solum communi et proximo, sed a stipite quoque remoto, eorum ad invicem metata sit consanguinitas); vel ita solum ut quo cognationis gradu invicem distent, a proximiori dumtaxat stipite ducta linea demonstret, ideoque ad remotiorem stipitem assurgere necesse non sit nisi ad eorumdem cum aliis aliunde genitis, sed eiusdem familiae vel generis, cognationem dimetiendam. (Videsis dicta ad casum I.) Si primum, quo gradu sponsus a gemino procul sit stipite, sic inquiri posset. Magdalena per utrumque parentem distinctim, secundo distabat gradu a stipite utroque. Tantumdem maritus eius. Eorum itaque proles Franciscus quater tertio a stipite utroque communi distat. Ergo per Franciscum ad stipitem utrumque relatus sponsus quater quarto gradu ab

eodem distare censendus est. Post haec de gradu quo sponsus per matrem Ludovicam cum gemino stipite comparatus ab eodem procul existat, inquirere oportet. Catharina ex parentibus a stipite utroque distat, ut patet, gradu secundo; hinc Ludovica bis iterato tertio, sponsus igitur bis repetito quarto gradu distare dicendus est. Sex igitur iterato quarto carnalis vinculi gradu, sponsus a sponsa, comparatione ducta a gemino supremo stipite, distet oportet.

At sponsi invicem comparandi profecto sunt non solum quoad stipites remotiores, sed etiam, immo praesertim, quoad proximiores. Porro sponsi genitor ex patre Ferdinando ad unum eumdemque cum sponsa, proxime sane, retrahitur stipitem in Margarita et Antonio; ex matre vero in Ludovico et Ioanna. Ter itaque repetito tertio carnalis vinculi gradu, inde sponsus et sponsa distare invicem sunt dicendi; bis nempe ob Francisci parentes, semel vero ob Ludovicae matrem.

Quid causae sit cur gradus in hac quae primo commemoratur hypothesi, praefata ratione supputemus, ex eo plane patet, quod si Ludovica et Franciscus, puta, distinctim illum quo uterque distat a stipite gradum cum filio communicent, cur non Ferdinandus et Magdalena distincte idem praestiterint quoad Franciscum? cur non, Magdalenam quod spectat, Ioanna et Ludovicus? Et ita porro.

Quod si, ut par est, ponamus parentem utrumque distincte carnale, quo attingitur vinculum omne cum filiis ita communicare ut ii, non a se invicem plus minusve distare dicantur, sed cum aliis ab eodem, quo eorumdem parens, stipite pro-

creatis, arctiori vel laxiori cognationis vinculo colligati habeantur, ideoque eius quo filii praefati mutuo vinciuntur cognationis gradum, non aliunde quam a proximo atque communi eorum stipite, parente nimirum, supputare liceat; in eo quem Corradus proposuit casu sponsos sub nullo respectu proximiores communioresque stipites iis, quos nn. III, IV et V indicamus habere nullos, ideoque prout supra dixi, nonnisi ter repetito carnalis vinculi gradu, invicem procul esse perspicue patescit. Quae cum ita sint, ut Corrado rationem constare dicamus, necesse fuerit prolem Ioannis cum Francisci prole nullatenus coniugali vinculo foederatam supponere. Unde oritur (Fig. V tertio), ex qua sponsum et sponsam revera nonnisi quater quarto procul invicem esse gradu, clarius patet quam demonstrari necesse sit.

Ad VI. Reponam ad primum sponsi assertum: nego suppositum. Cum enim sponsus et sponsa per parentes utrosque concurrant in stipites communes et proximos h'' f'' et h''' f''' quorsum ad X et X', vel ad S eosdem reducas? Sicque iterata quantum necesse fuerit responsio, iteratos, ex Tullii opinione, cognationis gradus explodet, excepto geminato secundo, quo sponsi revera invicem distant. Videsis dicta ad casum I.

Ad VII. Sponsae avus maternus P' a stipite utroque communi et proximo, in quem una sponsi concurrunt (S S') per parentem utrumque distincte, secundo procul est gradu. Tantumdem M' sponsae avia materna. Ergo sponsae genitrix M tertio quater reiterato gradu, indeque sponsa quater quarto, a communi stipite et proximo, ideoque a

sponso procul distare censetur. Tantumdem distat per patrem. Ergo sponsa a sponso octies reiterato quarto distare gradu dicenda est. At sponsus a stipite utroque communi et proximo, nonnisi quater iterato tertio procul est gradu. Ergo sponsi invicem distant octies iterato quarto, attingente, i. e. mixto, quater iterato tertio consanguinitatis gradu.

Ad VIII. Androgenes, ut patet, decipitur hic eadem de causa qua eumdem decipi vidimus in casu VI; sponsorum scilicet propinquitatem non ad solum stipitem proximum et communem, sed ad communem etiam remotum adducit, atque ex eo dimetitur. Quod ut facilius percipias stirpium seriem ab Androgene descriptam sic mutabo ut prima fronte, qui sint proximi stipites, quique sit stipes remotus appareat (V. fig. VIII bis). Stipites proximi et communes sunt A, B, C, nec non h′ f′ h^2 f^2 h^3 f^3 Sed stipes remotus est S. Negligatur hic stipes, atque sponsos qua revocatos ad proximos, eosque communes stipites, nonnisi bis tertio et semel secundo procul invicem esse gradu patebit. Re sane vera, sponsa a sponso distat per matrem quidem ob avum et aviam (h^3 f^3) bis tertio; per patrem vero dumtaxat secundo.

Ad IX. Thomasii sententia, nedum veritati plane consona sit, sed geminae alterius sententiae vitium apprime patefacit. Re sane vera, Rogerius ex eo falli convincitur, quod cognationis carnalis gradus metiatur, non ex ea qua sponsorum alteruter a stipite procul se habet distantia, sed ab iis quibus sponsorum alterutrius abavi a sponso altero procul sunt gradibus. Quo sane fit ut graduum iteratio *dimensive* computetur quatenus

intensive spectatur, et *itus* ac *reditus* quoad eumdem terminum cognationis perinde ac gemina via, hoc est geminata cognatio, habeatur. Rogerius itaque perperam ratiocinatur: Abavus quique quater repetito quarto gradu procul a sponso altero deprehenditur: ergo duo supra tricesies repetito quarto sponsi invicem distant. Aliter prorsus graduum supputanda est ratio. Sic nempe: Abavus quique gradu unico distat a stipite. Atqui sponsus uterque eadem ratione per abavos et abavias ad stipitem proximum et communiorem deducitur. Ergo sponsus uterque a stipite illo, octies repetito quarto gradu, procul existit. Sponsi igitur octies repetito quarto dumtaxat invicem distent oportet.

Crapundium quod spectat, ut perspicis, praetermissa ea qua Thomasius, pro canonici iuris praescripto, utitur gradus metiendi lege, civilem adhibet gradus ipsos enumerandi rationem. Eos scilicet qui utrimque sunt gradus metitur et una coniungit. At enim: stipitis sanguis per lineas plures ad quempiam diffluens pleniorem, quam si per unam dumtaxat lineam afflueret, consanguinitatem gignat oportet. Pleniorem quidem, ut antea dicebamus, *intensive* non *dimensive;* pleniori nempe ratione in descendentem quempiam demissus stipitis sanguis, intensiorem efficit cognationem, quin exinde necessaria ratione graduum illius numerus augeatur. Quod sane tum canonici iuris praescripto statuta gradus metiendi lege conficitur, tum supra allata Doctoris Angelici auctoritate probatur, tum denique luculenter exemplo firmari videtur in eo, qui tametsi propior stipiti, ideoque

plenius a stipite sanguinem mutuatus, tamen eodem cum remotioribus descendentibus gradu, a collaterali quandoque procul se habeat. Sic, puta, in eadem figura IX sponsi pater P utpote stipiti prole propior, stipitis S sanguinem pleniori quam proles ratione recipit; et tamen, quatenus lex canonica rem hanc spectat, eodem cum prole gradu distare censetur a sponsa.

Ad X. Quaestionibus a Firando propositis, Angelici Doctoris verba nonnulla (sup. q. 54. a. 4 ad 3.) satis plane facere arbitror: « Ecclesia suo statuto non facit quod aliqui sint vel non sint consanguinei (quia secundum omne tempus consanguinei remanent), sed facit, quod carnalis copula sit licita vel illicita, secundum diversa tempora, in diversis gradibus consanguinitatis. » Ex quibus sane consequitur tot dispensationes requiri quot sunt impedimenta sive genere, sive specie, sive numero distincta; seu quod idem est, eum qui dispensationem facit, impedimenta singula auferendi mentem et potestatem habere debere. Ceterum pro Missionariis iis qui nonnisi ter vel ad plurimum quater consanguinitatis gradus repeti posse contendunt, verba commemorari liceat Corradi (loco nuper citato): « In quadruplici quarto consanguinitatis gradu...... impedimentum saepe contingere solet, sicut et quintuplicis quarti..... consanguinitatis gradus. »

Ad XI. Virgilius ex patre h primo, ex matre f[1] tertio procul a stipite, cum Calliope, proximo et communiori distat gradu. Secundo igitur cum quarto distare Dantes dicendus est a Calliope. Ho-

merus vero cum Terentiana sanguine iunctus non est, nisi ob patrem h. Quarto itaque mixto, non cumulato, cum tertio consanguinitatis gradu ab illa distat.

Ad XII. Sponsa, ut patet, a stipite communi et proximo S quater quarto procul est gradu. Sponsus vero bis quarto et semel tertio. Quo itaque gradu invicem eos distare dicatur necesse est in petenda dispensatione? Quater quarto, mixto non cumulato, tertio; quippe tertio sponsi respondeat quartus sponsae.

Ad XIII. Tempus incassum terere non putarim in huiusmodi casu enodando; dubium enim de huiuscemodi re fortasse incesserit aliquando non neminem ex Evangelii praeconibus in hac australi Indiae plaga. Satis tamen quaestioni fecerit, confido, quod S. Thomas (sup. q. 55. a. 1 c.) de re hac docuit: « Sicut persona coniuncta alteri per carnis propagationem, quoddam vinculum naturalis amicitiae facit, ita coniungitur per carnalem copulam; sed in hoc differt quod persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps eiusdem radicis communis et sanguinis; unde eodem genere vinculi colligatur filiis consanguineis patris, quo pater coniungebatur, scilicet consanguinitate, quamvis secundum alium gradum, propter maiorem distantiam a radice; sed persona coniuncta per carnalem copulam non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta, et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas vocatur. Et hoc est quod in isto versu dicitur: *Mutat nupta genus, sed generata*

gradum. Quia scilicet persona per generationem fit in eodem genere attinentiae, sed in alio gradu; per carnalem vero copulam in alio genere.»

« Carnis propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur; sed ad affinitatem non comparatur, nisi mediante consanguinitate, quae est causa eius. Unde cum gradus attinentiae per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se et immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate. Et ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attineat mihi uxor. »

Quare, praeter dubii aleam positum ast, quod si Anna, puta, cum Ioanna primo simul et secundo carnalis vinculi gradu iuncta, cognita fuerit a Ioanne, totidem is affinitatis gradibus cum Ioanna vinciatur. Falso autem diceret quispiam, exinde nonnisi unam oriri affinitatem, si tamen unius vel pluralis affinitatis nomine, cognationis eiusdem vel gradus in universum, vel gradus simplices nuncuparit.

Ad XIV. Communis Doctorum sententia est infidelibus, primo cognationis carnalis gradu dumtaxat excepto, in aliis quibusque gradibus nuptias inire, integrum plane esse; in linea vero transversa, iure naturae connubia dirimi tantum in primo, ad plurimum, gradu. Quoad infideles qui connubio sic inito Christi fidem amplexi fuerint, separandi invicem sunt, si modo, ait Sanchez, separationem haud aegre ferant. « Quare patet, ait

Bonac. (l. 2. t. 2. q. 3. p. 5.) matrimonium contractum ab infidelibus in secundo, tertio et quarto gradu lineae rectae validum esse. Ratio est tum quia infideles non afficiuntur impedimentis iure ecclesiastico inductis, tum quia matrimonium contractum in 2°, 3° et 4° gradu non est irritum iure naturae. » Et lineam transversam quod attinet, auctor idem eodem loco sic loquitur: « Capite *Gaudemus de divortiis,* deciditur infideles, qui in aliis gradibus praeter primum contraxerunt, non esse separandos cum ad fidem convertuntur. » Quare frustra Missionarius in casu de Vireni connubii validitate, animo angitur; « cum per Sacramentum baptismi (ut ait Innocentius III citato capite *Gaudemus*) non solvantur coniugia sed crimina remittantur. »

Ad XV. Rectae lineae primo gradu solummodo excepto, de quo lis est inter doctores, ut ad casum XVIII dicturi sumus, iure naturae affinitas nulla connubium dirimit. Bruno igitur et Salesio non succensendum est ob Senae-facici matrimonium; causa enim plane gravis adfuisse videtur agendi prout egere. Si tamen gravis ratio sic agendi defuerit, grave piaculum non abfuisse putarim; quippe plane gravis inordinatio in eo esse videatur, quod cum connubium ad dignitatem Sacramentalem sit evectum, qua tale iniri, etiamsi valeat, nolit.

Ad XVI. Aristaci responsa veritati sat consona, sed non ut par erat perspicua dicenda sunt. Leonidas autem initio perperam dubitasse, in fine perperam se gessisse indubia res est. Lazarum enim

baptismo suscepto, connubium cum uxoris ethnicae consobrina gradu ab Ecclesia prohibito, inire non potuisse, Doctores omnes una consentiunt; idque ex capite *de divortiis* inferre videntur. Quid ergo de eo, quod in animo habet Lazarus cum Virena, connubio? Doctores plures, affinitate dirimi putant, idque triplici ratione confici autumant. Primo quidem ex 1. ad Cor. 6. « qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur, erunt duo in carne una.» Secundo ex Amos 1. 7. ubi improbatur ceu scelus copula fornicaria patris et filii cum eadem muliere. Tertio tandem ex eo quod l. 4. Cod. *de nuptiis* Alexander imp. prohibet filii nuptias cum patris concubina. Contra stant Sanchez, Cardinalis de Lugo, Gonzales et alii, quos inter Navarrus quaestionem sic disputat (cap. 12. n. 6.) « Sunt qui dicant quod licet ex coitu illicito non oriatur affinitas impediens iure naturali, tamen ille coitus illicitus producit post baptismum affinitatem impedientem, et dirimentem matrimonium, et confirmant hoc ex illo Pauli: *Qui adhaeret meretrici, una caro cum ea efficitur*. Sicut cognatio tertii et quarti gradus non impedit matrimonium iudaeos inter et gentiles, sed post baptismum fit tale impedimentum. Sed contra hos concluditur, tum eo quod non enti non potest inesse qualitas, ergo ei quae non est affinitas non potest adiici qualitas impediens matrimonium, et consequenter cum nulla affinitas fuerit nata iudaeos inter ex illicito coitu, non potest dici, quod per baptismum eorum fiat affinitas dirimens matrimonium. Tum quia affinitas nascitur ex copula, et non ex ba-

ptismo; et ita si ex copula praecedente baptismum non fuit nata affinitas, non potest nasci per baptismum sequentem. Non obstat eorum fundamentum, tum quia a separatis non fit illatio; et consanguinitas sive cognatio est res separata ab affinitate, ut constat ex ipsa rubrica *de cognatione et affinitate,* in qua illae coniunguntur per coniunctionem, quae denotat copulata esse diversa, iuxta glossam; tum quod non solum sunt separata, sed longe dissimilia. Ad confirmationem autem, concedimus illud dictum Pauli probare quidem quod non sine ratione, iure pontificio, inducta est affinitas ex coitu illicito contra omnia iura romanorum et aliarum nationum; sed non probat quod etiam tempore Pauli ex coitu tali nascebatur affinitas, et quod illa ante baptismum nata, fiebat impedimentum post baptismum. Sicut homicidium quod ante baptismum committitur quoad ordinationem. » Addunt praeterea DD. alii rationem ex eo quod consanguinei, natura veluti duce, odio habeant consanguinei cuiusquam concubinam. Unde, aiunt, nomina nulla deprehenduntur inventa ad exprimendos necessitudinis gradus consanguineorum cum huiusmodi concubina: imo ius romanum (l. non facile 4. §. *sed quoniam* et alibi) constituit nullam ex copula fornicaria oriri affinitatem.

Sponsalia pariter et ratum (dicas velim legitimum non consummatum) coniugium ab ethnico inita, honestatis publicae impedimenta nequaquam afferre ethnico ipsi post baptismum susceptum, decretoria ratione docuit Aristaeus. Sponsalia quod

attinet, consentientes habet Doctores communiter. At matrimonium ratum quod spectat, Sanchez atque Doctores alii communius, imo fortasse communiter, docent baptismo suscepto, neophytum ob ratum connubium ante baptismum initum, impedimento plane irretiri. Quid ergo Aristaeum vero sat consonas praebuisse dixerim responsiones? Haud ita pridem, anno scilicet 1837, S. Congregatio supremae Inquisitionis ad dubium propositum a Vicario apostolico Tunkini orientalis: « Matrimonium ratum, non consummatum paganorum producit ne honestatem publicam? Vel censetur ne impedimentum dirimens post eorum conversionem? Responsum est, impedimentum non subsistere. »

At certe non perspicue, ut par erat, locutus est Aristaeus. Quare Leonidas generaliori quam par fuisset ratione verba illius interpretatus, plane deceptus est in dirimenda Lazari, quoad fratris uxorem, quaestione. Affinitas enim inerat reapse Lazaro cum muliere, eaque tametsi ante baptismum impedimento esse non posset; plane tamen connubium Lazari cum fratris uxore dirimit postquam vel eorum alteruter baptismo fuerit expiatus.

Atque hinc pronum esse vidētur colligere quae tandem sit ratio cur Ecclesiae more neophytus impedimento afficiatur ob matrimonium, quod ipse vel cognati eius in infidelitate contraxerint, non autem ob sponsalia inita vel fornicationem patratam eo tempore quo idololatriae operam dabat. Nimirum naturae iure affinitas a connubio quidem, non autem a sponsalibus vel copula for-

nicaria, gigni videtur. Re sane vera affinitas est relatio seu iunctio quaedam, quae in maris et feminae individua vitae ratione fundatur. Porro sponsalia pariter et fornicatio fundamentum istud nullatenus praebent. Insuper affinitas iure naturae oriatur necesse est ex facto aliquo naturae iure instituto. Atqui fornicatio iuri adversatur naturae, sponsalia autem ortum duxere a libera hominum conventione. Matrimonium e contra ipsa instituit natura. Tandem affinitas, quippe quae relatio sit permanens suapte natura et indissolubilis, causam aliquam suapte natura permanentem requirit. Atqui suapte natura res est permanens quidem atque perpetua matrimonium, non vero sponsalia nec fornicatio. Quae sane omnia subaudiri videntur iis, quae huiuscemodi rei rationem afferre volentes Doctores asserunt (vide Lugo resp. mor. l. 1. dub. 40. n. 29.) affinitatem ex copula fornicaria non ita perfectam esse sicut proveniens ex legitimo matrimonio consummato, quippe quod in illa unio tantum corporum, in isto autem etiam societas adest in communem vitam. Quod quidem Angelicus Doctor iamdudum notarat (in 4. dist. 41. q. 1. a. 1.) verbis illis: « Matrimonium vero affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis secundum quam etiam matrimonium naturale est.» Cur itaque ex rato vel potius legitimo nec consummato connubio in infidelitate contracto, neophytis nullum oriatur impedimentum? Vel forte quia connubii vis omnimoda, indissolubilis nempe individuae vitae ratio, nonnisi consummato connubio

inest. Quare, ut infra dicimus, rato nec consummato connubio, veri nominis affinitas nulla gignitur. Vel quia in praxi connubium verum, nec consummatum apud ethnicos esse, non raro dubia res est. Vide dicenda ad casum XVIII.

Ad XVII. Plane claudicat Claudii sententia: « Si fidelis fornicetur cum infideli femina (ait Bonac. loc. cit.) cuius soror vel filia suscipiat postea baptismum, hic non poterit postea matrimonium contrahere cum eius sorore, vel filia, quia fidelis cum copulam habuit, subiiciebatur Ecclesiae, et Ecclesia voluit affinitatem induci ex copula cum consanguineis alterius, quandocumque fuerint baptizati. Ita Sanchez etc. Obiicies: affinitas est veluti quaedam relatio; relatio autem non resultat, nisi utrumque extremum habile sit et idoneum, ob id in praecedentibus dictum est fidelem baptizantem filium feminae infidelis, non contrahere cum illa cognationem; consequenter posse cum illa post susceptum baptisma matrimonium inire. Respondeo: affinitatem esse veluti quamdam relationem iure ecclesiastico inductam, consequenter illam oriri, quando Ecclesia vult illam oriri: ex usu autem et praxi constat, Ecclesiam velle, huiusmodi relationem ex copula oriri, postquam consanguinea feminae cognitae baptismum suscepit; non vero postquam baptizata est femina, cuius filius baptizatus fuit antequam ista baptizaretur. Sanchez. »

Ad XVIII. « Quo vero ad impedimentum publicae honestatis, proveniens ex matrimonio rato (sic Pyrrhus Corradus de dispensationibus l.7. c.7.)

non tamen consummato, Sacra Congregatio Concilii, re mature discussa, ita censuit: *ex matrimonio contracto per verba de praesenti, non tamen consummato, non provenisse impedimentum affinitatis, sed tantum publicae honestatis iustitiae, et propterea non comprehendi decreto dicti Concilii, ubi impedimentum ex huiusmodi sponsalibus de futuro proveniens, non excedit primum gradum....* Licet non desint qui impedimentum ex matrimonio rato proveniens, vocent affinitatem, sicut etiam ipsa Dataria apostolica appellat, licet impropriè, in casu petendae dispensationis super eo, hac forsan de causa, quia per vinculum coniugale, cum potestate vir et uxor uniuntur in ratione unius principii ad generationem, et inde inter eos oritur affinitas, ac insuper quia cum non sit aliqua propinquitas inter affinitatem et publicam honestatem, dicendum est, ex matrimonio rato oriri affinitatem. Ita Sanchez l. 7. Contrarium tamen verius est, quod tenet idem Sanchez ibidem ubi docet, quod quamvis ex matrimonio rato non consummato, possit dici improprie et large oriri affinitatem, seu affinitatis initium, concludit nihilominus hoc impedimentum esse publicae honestatis, non autem affinitatis, quia tunc solum dicitur affinitas quando vir et femina, una eademque caro efficiuntur; unde sanguis unius dicitur sanguinem alterius tangere (ibid.); quod quidem dici non potest de matrimonio rato tantum, non vero consummato; quod ego vidi etiam declaratum per Sacram Congregationem Concilii Tridentini, quae ita censuit: *ex matrimonio per verba*

de praesenti copula non secuta, non oriri affinitatem die 27 Aprilis 1568.... Licet autem ipsa Dataria dicat, id esse impedimentum affinitatis; non tamen ita illud appellat, quia tale sit, sed potius ad retrahendos oratores omnesque alios a petitione similium dispensationum, cum perinde sit ac si esset impedimentum primi, vel secundi, vel alterius gradus affinitatis, quoad dispensationes super eo impetrandas. »

Quaeri hic posset, num canonica aliqua lex sit, quae ex matrimonio rato honestatis publicae impedimentum oriri statuat? Revera nullam reperiri est huiusmodi legem. Doctores autem impedimentum istud extare constituunt ex eo, quod, hinc quidem rati connubii vinculum potius sit ea, quae ex sponsalibus oritur obligatione; inde vero affinitas connubio isto haudquaquam pariatur.

Re sane vera, connubio rato veri nominis affinitatem non gigni, patet tum ex Codice lex 18. causa 27. tum ex Pii V declaratione in Constitutione *ad Romanum*, tum denique ex Sacra Congregatione resol. in Valentina apud Benedict. XIV q. can. 291.

Ex hisce patet de affinitate latiori sensu usurpata interpretanda esse Doctoris Angelici verba (sup. q. 55. a. IV ad 2.) « Matrimonium affinitatem causat, non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde et affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de praesenti, ante carnalem copulam; et similiter ex sponsalibus, in quibus fit quaedam pa-

ctio coniugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publicae honestatis iustitia.»

Ad XIX. « Sententia (sic Bonac. l. cit.) quae mihi probabilior videtur est Caiet. Henriq. Sanchez etc. et aliorum negantium affinitatem dirimere matrimonium iure naturae, in ullo gradu etiam lineae rectae. Ratio est quia aliquando celebrata fuerint matrimonia cum novercis, cum quibus intercedit affinitas in primo gradu, nec tanta turpitudo reperitur, quae videatur sufficiens ad irritandum matrimonium iure naturae.... Ex his sequitur 1. validum esse matrimonium contractum cum concubina patris, ut etiam concedit prima sententia; 2. validum esse matrimonium iure naturae, contractum cum uxore fratris mortui, ut concedit etiam prima sententia; 3. validum esse iure naturae matrimonium contractum in primo gradu lineae rectae, iuxta secundam sententiam; 4. infidelem qui aliquam fornicarie agnoscit, posse suscepto baptismo contrahere cum aliqua consanguinea suae concubinae matrimonium; quia affinitas dirimit solum iure ecclesiastico, cui non subiicitur infidelis; consequenter dum infidelis cognovit concubinam, non contraxit istud impedimentum, neque illud postea contrahit per susceptionem baptismi, *quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*. Cap. *Si non firmatur*. Ita Nav. etc.»

Ex hisce sponte veluti sua consequitur, perperam Missionarium egisse, atque vehementer lugendum, quod ignorantia eius causae fuerit cur Constantius cum tanto sui suaeque coniugis

detrimento, in infidelitate tamdiu permanserit. « Quia gravissimi Doctores (Ballerini ad G. de matrimonio) negant matrimonium cum eiusmodi affine irritum esse iure naturae; propterea si duo infideles tali matrimonio contracto, ad fidem venirent, tutum non esset eos separare, sine Pontificis dispensatione, nisi forte haec coniugia inter infideles lege positiva irritentur; quod pronum est, quia fatentibus Doctoribus, eiusmodi nuptiae etiam inter gentiles habebantur turpes et abominabiles. » Atque huc spectat Sacrae Congregationis S. O. declaratio a. 1729 qua constituitur, toleranda esse matrimonia in Sinis ante baptismum contracta in primo affinitatis gradu, supposita immemorabili consuetudine illarum regionum.

Ad XX. « Cum affinitas ex matrimonio (Ballerini l. c.), sive sit impedimentum dirimens de iure naturae, sive non, certissime tamen sit affinitas naturalis; proinde non posset quis post baptismum contrahere cum filia aut matre illius uxoris, quam ipse legitime habuisset tempore infidelitatis. Imo Doctores ex cap. fin. de div. id extendunt usque ad affines quarto gradu. Ratio est, quia cum affinitas ex legitimo matrimonio, iuxta dicta, sit vinculum naturale, oritur etiam inter infideles, et manet etiam post baptismum; post baptismum autem iam subiacet legi Ecclesiae irritantis coniugia usque ad quartum gradum. »

Probanda ne itaque Missionarii sententia? Equidem si vera essent quae Benedictus XIV (l. supra cit. de synodo dioecesana) docet de connubio haud dissoluto per dispensationem super faciendas con-

iugi ethnico praemonitiones, quo pacto sententia illa reprobanda appareret, nescirem. At cum DD. plures, Benedicti XIV hac in re placitum ceu vero absonum habeant, Missionarii sententiam probemus quidem necesse est, quoad puellam seniorem, quae a Durioli uxore genita fuit; at reprobemus oportet quoad iuniorem, quae cum gignebatur, Marcanda Durioli uxor amplius non erat.

Ad XXI. Inscite prorsus inepteque locutus est Geminus iste. Quod sane absque sermone alio, vel obiecta generis descriptione conficitur (Fig. XIII). Vir enim V ab uxoris U sorore S primo distat gradu; quia tantumdem soror utraque distat a communi stipite S' (affinitas enim per se gradus non habet, sed eos a consanguinitate quodammodo mutuatur). Ergo primo attingente secundo distat a nepte F. E contra quia U et consobrina eius C secundo, eoque simplici, consanguinitatis gradu distant a stipite communi S', V a C secundo affinitatis distare gradu dicendus est.

Ad XXII. Si quaestio incidat, an hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, quo recurrendum est? Respondet Benedictus XIV de Syn. l. c. « Necessario recurrendum erit ad leges civiles, atque ad earumdem normam controversia decidenda. » Rationem praemiserat, « quia et cognationem legalem et quae ex ea ad nuptias profluent obstacula, eo prorsus modo quo a iure civili (ius romanum significat) statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nicolaus I. » Porro iure romano adoptio est duplex, perfecta scilicet, quae dicitur arrogatio, fitque dum persona extranea

(quae scilicet inter adoptantis descendentes non recensetur) sui iuris, ex Principis rescripto, ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus et naturalis, fiat heres necessarius. Imperfecta vero, vel prout etiam vocatur, *simplex et in specie,* est qua persona extranea constituta sub sui naturalis patris, seu avi potestate, solius magistratus, alteriusve iudicis competentis auctoritate, in filium aut nepotem adsciscitur. An vero sola cognatio orta ex arrogatione sive adoptione perfecta, inducit impedimentum dirimens matrimonium, an etiam orta ex adoptione imperfecta? Respondit iterum Benedictus XIV, utriusque sententiae recensitis patronis. « Cum indecisa maneat controversia, si de ea in synodo agendum foret, ex solis iuris civilis functionibus posset definiri » (V. Voit de cognatione legali). Attamen recepta est communiter hodie in scholis sententia, quae imperfectam adoptionem impedimentum nec dirimens, nec impediens gignere docet.

Quid ergo de regionibus illis, ubi romana iura non vigent? « Quaestionem, incurratur nec ne canonicum hoc impedimentum, quando in civili variarum gentium codice ratio cognationis legalis plus minusve distat a iuris romani arrogatione, seu perfecta adoptione, sola *apostolica* Sedes definire certa sententia potest. Nam usquedum eiusmodi sententia expectetur, Doctores privati generalibus principiis cohaerentes, quod matrimonium sit res valde favorabilis, et idcirco iura prohibentia et irritantia matrimonium, si quando ambi-

guus sit eorum sensus, restringi potius (iuxta r. 15 iuris in 6.) quam extendi debeant, recentiores civiles leges circa legalem cognationem, et obicem nubendi inde ortum, citius *de simplici* illa secundum ius romanum adoptione, quae nullum canonicum impedimentum parit, interpretandas statuent.» Ballerini ad G. *de cognatione legali*. Eoque magis rationi consona apparet Doctorum interpretatio, quo adoptionem inter Bulgaros usu receptam *absque ulla iuris solemnitate*, tametsi adoptati, ceu filii legitimi et heredes necessarii habeantur, nullum gignere impedimentum iamdiu declaraverat (a. 1761) S. C. S. O.; et (a. 1800) Sacra Congregatio P. F. impedimentum cognationis legalis in Tunkino occidentali non vigere constituit: « quando, iuxta leges et consuetudines regni, persona nondum sui iuris adoptare potest, neque requiritur ut adoptans maior sit 25 annis; parum curatur utrum sit masculus an femina; ipsi quoque eunuchi adoptare valent; neque habetur ratio aetatis adoptantis relative ad personam adoptatam, neque etiam requiritur personae adoptatae praesentia, vel eiusdem in adoptione consensus, ita ut etiam parvuli et puellae absentes, ac veri consensus incapaces in filios et filias adoptari possint. »

Quid itaque de adoptione, prout Indorum more recepta est? Nullatenus ex ea impedimentum oriri potest. Quod ut pateat, praecipua indicae legis, quae adoptionem respicit, capita sic adstringere liceat. Adoptio superstitione sic nititur ut ex superstitione praesertim initium fiat ad ea quae ad-

optionem spectant constituenda. Re sane vera, adoptio ideo instituta est, ut vir qui tametsi connubium inierit, ideoque crimen admiserit, cuius causa inferni illius, quem *put* appellant, poenam tenetur dare, quodque nonnisi maris procreatione detergitur, et tamen masculinam gignere prolem non potuerit, procreationis vicem supplere queat, ad piaculum amovendum, vel saltem (maris enim progeniti vel adoptati mors non impedit quin piaculum illud amotum revera fuerit) ut sibi post mortem non desit filius, qui progeniem continuet, et statis temporibus parentare non desinat. Sed ut res clarius pateat, en tibi compendium eorum quae indica lex statuit de adoptione.

Quinque sunt, quibus indica adoptionis lex nititur veluti cardinalia principia.

1. Adoptio ideo praesertim instituta fuit, ut vir qui eo ipso quo connubium inivit, piaculum sibi contraxit, cuius causa certi quem *put* appellant inferni, poenam dare tenetur, quodque nonnisi masculinae sobolis procreatione detergitur, marem non genuit, procreationis vicem supplere valeat.

2. Deinde secundaria ratione concessa fuit adoptio, ut masculina proles non desit, quae statis temporibus viro parentet, eique prosapiam gignat.

3. Qui adoptatur, perinde ac progeniti filius *reflexus* (i. e. similitudo) se habet.

4. In adoptionem quempiam tradere nequit, nisi qui in eumdem patria gaudeat potestate.

5. Plane novus in adoptato statuitur, tum erga adoptantis familiam, tum erga aliam, ex qua ortus est, respectus. Porro:

Ex 1. consequitur ut nonnisi mas adoptari liceat, isque unus dumtaxat, nec primogenitus aut unigenitus, et in masculinae prolis defectu, atque si uxor sit quae adoptat, nonnisi viri consensu. Quare is cuius uxor sit praegnans, vel vita functa, adoptare prohibetur. Consequitur etiam ex eodem capite, eum qui connubium haud inierit, prohiberi quominus adoptet. Una est exceptio, quoad ea quae ex primo hoc consequuntur, ius scilicet meretricibus Delubro addictis, collatum, adoptandi puellam.

Ex 2. sequitur ei adoptare licitum esse, cuius filius progenitus, vel adoptatus vita excesserit.

Ex 3. consequitur ei adoptare nefas esse qui rationis usu non polleat. Insuper adoptari non posse, nisi eum, qui ex eadem cum adoptante tribu sit, quemque adoptans legitime procreare potuisset. Quare tametsi vir uxoris fratrem adoptare possit, fratrem tamen suum adoptare non potest. Et est exceptio pro Sudrarum tribu, vel necessitate urgente, et in sola Dravidensi regione (Presidency of Madras), ut sororis vel filiae filius adoptari queat.

Ex 4. consequens est, ut nec frater fratrem, nec patruus vel avunculus nepotem, imo nec mater sine patris expresso vel praesumpto consensu, filium in adoptionem tradere valeant.

Ex 5. tandem lex statuit ut adoptatus, tametsi utriusque familiae cognationis gradus acquirat, tamen hereditatem adire nequeat, nisi in sola adoptantis familia, in qua filii vices gerit. Interim vero, si masculina proles adoptati post adoptio-

nem nascatur, hereditas tota in quinque partes dividitur; ita ut adoptato nonnisi quinta pars acquiratur. Praeterea singulare quodpiam in iure indico est, ut si adoptio invalida fuerit, adoptatus tamen ad familiam unde ortus est, regredi nequeat, et familiae utriusque hereditate carens, nonnisi victum, vestitum et habitationem ab adoptante exigendi ius habeat. (Manual of Hindoo Law by Th. Lumdens Strange chap. III on adoption.)

Ad XXIII. Connubium de quo est casus in loco initum fuerat in quo Tridentina Synodus haud promulgata habebatur. Impedimenta nulla, praeter consensus fortasse defectum, connubio oberant. Quare casus solutio pendet ab ea quae de consensus ipsius concursu vel defectu suberit certitudo. Qua de re primo omnium adnotare praestat, Episcopum vel eius vice Missionarium quempiam, Nicephorum accurate interrogare et excutere oportere, ut plane innotescat qua mente fuerit adolescens quoad incundum connubium, num scilicet in matrimonium reverá consenserit an non? Ex iis vero quae in casu proposita sunt, casum ipsum sic enodarim. Cum honestatis impedimentum haudquaquam oriatur ex matrimonio invalido ob consensus defectum, sive metus, sive erroris, sive fictionis causa consensus defuerit; si matrimonii consummatio intercesserit, consensum quoque adfuisse putarim (nisi aliter alia ratione constet). Si vero connubium haudquaquam consummatum existat, Nicephorum ei non consensisse crediderim; et quidem gemina de causa. Primo quidem

quia invalide agere se adolescens arbitrabatur. Quamvis enim contra Navarrum DD. plurimi, opinionem de invaliditate connubii sponsorum menti inhaerentem, suapte natura cum consensus veritati, tum connubii validitati haudquaquam obesse censeant; attamen fatentur omnes requiri saltem ut sponsi ea mente revera sint ut eo quo possint meliori modo contrahere velint. Atqui Nicephoro istiusmodi mentem fuisse nullimode apparet. Insuper consensum in matrimonium ex eo etiam adolescenti defuisse videtur quod is *parentum improbitati obsistere reformidans,* connubium inierit. Metus idcirco reverentialis Nicephorum ad ineundum connubium adduxit. Num gravem dixeris vel levem huiuscemodi metum? Personarum adiunctis probe spectatis, gravem esse de facili potuisse non dubito. At, etiamsi plane gravis dici non posset, consensus tamen ex eo prognata imminutio, consensionis auxisset defectum illum quem opinio de connubii invaliditate progenuit. Qui sane consensus defectus ne honestatis impedimentum exurgeret ex eo quoque obfuisse putarim, quod cum istiusmodi impedimentum, quod ex invalido matrimonio contrahitur, *ad instar poenae se habeat,* sponsi eo minus ab illo irretiri merentur quo magis a connubio abhorruerint. Ne putes tamen Nicephorum impedimentum non incurrisse ob ignorantiam, qua forte de eo laborabat. Impedimentum enim statutum in poenam delicti, verisimilius haud incurritur solum, si impedimentum in poenam praecipue, non vero praesertim ob solemnitatis defectum, vel ob peculiarem honestatis causam sit constitutum.

SECTIO II.

IMPEDIMENTA CRIMINIS, CULTUS DISPARITATIS, AETATIS, LIGAMINIS, CLANDESTINI FOEDERIS, ATQUE IMPOTENTIAE.

Crimen.

I. Arnulphus ethnicus tribu Pareas, uxore Nagapatami relicta, in insulam Tapobranam profectus, amores incipit cum Pomponia ethnica tribuleque, sed vidua. Cum ea rem pluries habuerat, quando improba mulier, feminco plane astu, dolum et machinam commolitur ad quaestum; et sui copiam amasio non amplius in posterum facturam se simulat. Arnulphus vesano in eam amore pertractus, quo facilius, in perpetuum uxore dimissa, Pomponiam sibi connubio iungere valeat, baptizari postulat. Scitu necessaria docetur. Fidelium coetui adiungitur. Post haec illico Pomponiam invisit, quam a Christi fide amplectenda nullatenus abhorrere noverat; et, baptizare tu quoque, ait, te mihi desponsare percupio. Annuit Pomponia, et fidei rudimenta brevi satis edocta, baptismo regeneratur. Mox de connubio cum Pomponia ineundo, Catechistam certiorem reddit Arnulphus. Catechista rem Missionario deferre festinat, isque anteactis quibusque Arnulphum inter atque Pomponiam detectis, dubitare incipit ne criminis impedimentum, huiusmodi forsan obsit connubio.

II. Barnabeus Christifidelis tribu Paller, Octaviam contribulem quidem, sed ethnicam, et quam-

vis viginti vix annos natam, seniculo sexagesimum aetatis annum agenti, nec non infirma corporis valetudine laboranti, non ita pridem nuptui traditam, valde adamabat. Feminam mariti non parum pertaesam, saepissime invisit, munusculis allicit, amore sibi devincit. Adulterina copula etiam quandoque intercedit, atque connubii, seniculo vita functo, ineundi promissio. Non multo post, sponsorum optatis fortuna respondit. Vita fungitur senex. Mox Octavia baptizari expetit. Eruditur, baptismo expiatur. Nulla intermissa mora Barnabeus cum ea nuptias inire parat. Quod sane adspicientes Vicani, non tam fati inclementiam, quam sponsorum saltem alterutrius immanitatem, seni misello, exitio fuisse, magis magisque (id enim iam antea suspicabantur) cogitant atque susurrant. Missionarius de re hac inquirere, prorsus se nolle dicebat. At rem omnem ut sedulo pervideret a Catechista rogatus, atque revera scrutatus, valde dubius animo fluctuat, ne fortasse Barnabei cum Octavia connubio crimen obsit.

III. Andreas Missionarius pagi cuiusdam Christifidelibus, rudis plane minervae hominibus, sacra praebebat, cum eosdem de iis quae inter eos committebantur, sedulo sciscitatus, defertur ei Pancratium quemdam, uxore iampridem orbatum, et Calitropiam decem nunc menses concubinatu una irretiri. Reum utrumque absque mora arcessitum, arguit, obsecrat, increpat. Connubio invicem iungi cupere se reponunt. Quid rei fuerit impedimento quaerit Andreas a Catechista. Quantum scio nihil omnino, reponit iste. Inquiritur de eadem re a

contribulibus, qui concubinatum non incepisse, nisi post Calitropiae mariti e vita discessum testantur. Uterque igitur, subdit Andreas, conscientiae suae faciat exomologesim, et matrimonio absque mora iungatur. At latet anguis in herba! Mulier inter confitendum aperit, se vesano erga Pancratium amore deductam, iamdiu clanculum rei pravae cum eo operam dare, atque veneno maritum interfecisse, ut Pancratio nubere posset. Episcopi dispensatione opus est, ait Andreas, petam ne? Pete, reponit mulier. Andreas pago discesserat cum impertitae dispensationis testimoniales accepit litteras. Sed en nova et quidem maxima difficultas! Eodem tempore casu rescit factam Vicario a Sancta Sede huiusce generis impedimento derogandi potestatem, sequentibus verbis exprimi: « Dispensandi sex tantum in casibus, super impedimentum criminis, aut altero, aut etiam utroque machinante in matrimoniis iam contractis, valida interveniente causa; et etiam in contrahendis, quando ex non secuto matrimonio detegi possit crimen alioquin occultum, impositis pro modo culpae gravibus poenitentiis salutaribus. » Quae sane legens heu! cogitat Andreas, nullum plane periculum est, ne crimen retegatur; et factam a Vicario dispensationem invalidam prorsus esse arbitratur.

IV. Didimus Missionarius pagi cuiusdam Christifideles inviserat, cum de mare et femina cupientibus matrimonio invicem iungi, a contribulibus inquirebat, num impedimentum aliquod connubio obesset, an non? Una voce reponunt omnes, nul-

lum omnino impedimentum subesse. Ulterius paulisper rem scrutatus Sacerdos, deprehendit in pago non susurrari modo, sed palam dici, sponsum utrumque condicto, vel eorum saltem alterutrum, sponsae marito non ita pridem vita functo, propinasse venenum. Ocius Didimus a Vicario apostolico impedimenti fieri petit derogationem. At Vicarius ob clausulam in praecedenti casu commemoratam, valde dubitat quin eam facere queat.

Cultus disparitas fidelem inter et ethnicum.

V. Gentis illius quae orientis incolit Indias, centesima et quadragesima vix forte pars christianam fidem, nostris hisce temporibus, profitetur. Finge, Vicarios apostolicos non solum Christifideles, Sacerdotibus, Templis, Religiosarum conventibus, Scholis, et huiusmodi aliis, quibus vires quique suas impendere, ac fere dixerim, attenuare videtur, instruere; sed strenuos, idest abnegatione sui, perfecta regionis huiusce morum atque sermonis notitia, ferventi in proximos charitate, firma denique corporis valetudine atque praeclara doctrina praestantes viros, ad ethnicorum conversionem (quod sane denique tandem futurum speramus) addicere; ita ut ingentes illi hominibusque referti terrarum tractus, in quibus Christi fides ignota plerumque iacet, Ecclesiae, magna saltem ex parte, adiungantur; num impedimentum disparitatis cultus fore ut initio, cum primum converti gens coeperit, in regionibus illis vigeat, arbitremur?

VI. Vicario apostolico, Missionis cuiusdam

Praesuli, potestas facta fuerat derogandi impedimento disparitatis cultus, ethnicum inter atque Christifidelem, ea tamen conditione ut dispensationis faciendae gravis esset causa, et plures in loco essent infideles quam fideles. Gemina haec clausula, Vicario pariter et Missionariis multoties dubium ingessit.

VII. Vicarium apostolicum Missionis cuiusdam praesulem adierant die quadam christiani nonnulli, potestatem sibi fieri petentes, puellam 14 annos natam nuptui tradendi avunculo eius. Vicarius causam revera gravem subesse nullam, ob quam dispensationem largiri fas esset intra se reputans, eamdem impertiri inlicitum esse, argumentis plurimis comprobare conatur. At surdis canit. Quomodocumque sese res habeat, intercalari veluti versu, ad omnia subdit rude hominum genus, dispensatione opus est, dispensationem ut facias rogamus et obsecramus. Iterum iterumque de re firmiter abnuit Vicarius. Tum Christifideles, astu profecto minus quam rudi simplicitate, liceat ergo nobis puellam nuptui tradere ethnico adolescenti, cuius parens iamdudum illam pro eo instantissime petit; puella enim grandaeva penitus est, nec licet connubium eius diutius differre. Ex duobus alterutrum eligamus necesse est. Si de priori abnuis, de posteriori saltem ut annuas obsecramus, ad terram una provoluti omnes urgent, flagitant, obsecrantur. Maritum eiusve cognatos puellam a fide deducturos minime esse, quis vestrum quaeso praedem se sistat? reponit Vicarius. Elingues ad haec omnes fiunt.

Vicarius tamen incudinem inter et malleum veluti constitutus, non parum animo fluctuat.

VIII. Cum schisma goanum in hac regione haud ita pridem vigeret, Manuelam puellam christianam improbus plane parens nuptui tradiderat ethnico sponso coram Presbytero intruso, qui sponsorum alterum ethnicum esse noverit nec ne, incerta res est. Tempore abhinc aliquo elapso, Manuela schismati valedicens, peccatorum sarcinam proiicere valde cupiens, Missionario cuidam se sistit. Is vero Manuelam hinc quidem in bona versari fide arbitratus, inde vero cum ex parte mariti periculo perversionis fortasse obiici, tum admonitioni minime obsecuturam haud parum formidans, quid faciendum sit vehementer anceps animo haeret.

Cultus disparitas Christifidelem inter et acatholicum.

IX. Riconium Missionarium die quadam audivi acriter invehentem contra virum quemdam primarium, filiam adolescenti anglicanae haeresis sectatori, nuptui tradere in animo habentem. At dispensationem, respondebat sponsae parens, in huiuscemodi casibus, saepe admodum fieri mos est in Ecclesia. Res ita sit, reponebat alter; attamen scias velim, dispensationem huiusmodi satis non esse, ut insontes evadant qui mistis connubiis operam dant. Ea enim Pius VI, nec posse, nec velle adprobare, statuit. Re sane vera Ecclesia, teste Benedicto XIV, nisi haeresis abiuratio prae-

cedat, connubia illa reprobavit semper atque damnavit. Quamobrem a solemnitate quavis Ecclesiae, huiusce generis nuptiis adhibenda districte admodum prohibemur, ita quidem ut si filiam tuam haeretico homini nuptui tradere non verearis, de consensu sponsos, non in Ecclesia sed domi tantum rogabo. Riconius nonnisi hac loquendi agendique ratione, praecepto quo iubemur Christifideles a mistis deterrere connubiis, satis se facere arbitrabatur. Vir ille interim, haec omnia aegerrime ferens, Riconio nunquam posthac infensus non fuit.

X. Ariminius catholicus sistitur Missionario, seque puellam haeresim profitentem connubio perendie sibi copulaturum, dispensatione tamen obtenta, et reliquis quae iure praestanda sunt rite peractis, eumdem praemonet. Missionarius suspicatus sponsos ad ministellum prodituros esse, quod saepe accidit, caeremonia in Ecclesia catholica persoluta; Ariminium graviter atque copiose hortatur, ut catholico ritu absoluto, ministellum adire firmiter renuat. Et quo facilius eumdem ad id alliciat, Ariminium certiorem reddit, nuperrime a Summo Pontifice factam esse catholicis potestatem, caeremonias Ecclesiae, connubiis quoque mistis cum acatholicis, adhibendi. Ariminius ad haec reponit, quantum ex se est, effecturum ut sponsae cognati Missionario morem gerere non recusent. Re sane vera illius dicta omnia ad eosdem deferre festinat. Optime sane, reponit sponsae parens. Missionarii dictis penitus obsequemur; non post ritus catholici persolutionem, sed antea

ministrum nostrum adibimus. Eum enim, vel antea, vel post adire, ad certam connubii validitatem, ob nuper editam legem, plane necesse est. Dicto plaudent cognati omnes. Ariminius autem contraire non audet. Quare connubio inito primum coram ministello, subinde mox ad nuptias ritu etiam catholico cohonestandas, sponsus uterque magna comitante caterva Missionario se sistit. Is vero magnopere commotus et percitus, consilii inopia laborat, et vehementer anceps animo haeret. Tandem sponsos in universum hortatus ad poenitentiam, de consensu rogat, eorumque connubio benedictionem impertiri festinat, recte ne sese gesserit an non, quantocius a te rogaturus.

XI. Valentius Missionarius connubia mista haereticos inter atque catholicos, aeque ac alia quaevis publicare consuevit, et impedimentis, si quae detegantur, pro ea quae sibi facta est, connubiis mistis haudquaquam exceptis, a Missionis Praesule potestate, derogare non abnuit. Insuper promissa iure quaesita, non scripto sed oretenus exprimi satis esse contendit. Quandoque etiam connubio adfuit promissis nullis intercedentibus, partim quidem quod promissiones huiusmodi in regionibus hisce nullius plane valoris sint, ob eas quae inibi vigent leges; partim vero quod aliter turbae imminerent; idque plane licere docet, ex Pii VIII praescripto. Imo, si pars haeretica Christi fidem posthac amplecti se velle dicat, nullas requiri cautiones contendit, ut Sacerdos praesentia sua connubium honestet, quod sane S. Alphonsi auctoritate firmari autumat.

XII. Dubitatum est aliquando num matrimonia mista, catholicos inter et acatholicos clandestino inita, valida essent ubique in ora coromandelica, etsi Concilii Tridentini decretum, quoad clandestina connubia, inibi in locis plerisque promulgatum iamdiu censeatur. — Non raro etiam dubium incessit Vicariis apostolicis, quoad causae gravitatem, quae profecto requiritur ut dispensatio super mista connubia fiat.

Aetas.

XIII. Briseus Missionarius quatuor vel quinque connubia, praesentia sua cohonestarat; cum fere statim rescivit sponsarum ne unam quidem duodecimum aetatis annum plane attigisse. Ocius per Catechistam parentes minaciter iubet, sponsos illico separare, et sponsam quamque ad eiusdem parentes absque mora remittere. Parentes tamen Missionarii iussis obtemperare nequaquam se posse plus centum excusationibus comprobare nitũntur.

XIV. Anguntur saepe admodum Missionarii ob puellarum quas parentes nuptui dare festinant, aetatem. Quemadmodum enim visu, vel aetate tenerrimae, vel corpore exiguae, saepissime apparent, ita audenter mentiri, praecipue quo facilius connubia iungantur, Indis plane mos est. Quamobrem hinc veritatem a te ipso nosse non vales, inde vero vix unquam parentum vel cognatorum testimonio, tuto fidere potes. Dices: an non iis in quos referuntur baptismata libris, dubium omne dispelli valeat? Initio cum Missionibus, quas antea Goani

presbyteri colere censebantur, operam dare coepimus, plerumque nullos eiusmodi libros reperire licuit. Ea vero quae nos ipsi exarare curavimus commentaria, devorarunt non raro formicae albae et insecta alia, quibus Missionariorum sacella et casulae refertim incessebantur. Insuper sponsi qui Goanae iurisdictioni subditi, cum Christifidelibus curae nostrae commissis connubia iungunt, in nullo plerumque baptizatorum censu relati inveniuntur. Quare in praesens quoque non raro accidit, ut eorum qui matrimonium inire expetunt aetas, certa ratione dignosci nequeat.

XV. Cum in urbe quadam Indiarum, non ita pridem puella octavum agens aetatis annum, gravida deprehensa fuisset, ephemerides in urbe illa ab Indis scriptoribus exaratae, quid puellam octennem matrem fieri mirantur Europaei, aiebant, cum pueros decennes, quandoque parentes evadere plane sciamus? Cum haec ad Missionarii cuiusdam notitiam delata essent; quam insulse non raro angimur, exclamabat, de puellarum aetate, quae connubio iungendae ad sacella ducuntur! An non fere semper, in torridis hisce regionibus, puellarum, quae septennium excesserint, malitia suppleat aetatem?

XVI. Vitricum et Eugeniam, illum quidem decimum tertium, hanc vero decimum aetatis annum agentes, parentes improbi clandestino connubio iunxerant in regione cui Tridentinae Synodi decretum *Tametsi* minime promulgatum censetur. Id resciens Missionarius conatum omnem adhibuit ad efficiendum, ut sponsi invicem sepa-

rentur. Voti compos factus est; at biennio nondum ab initis nuptiis elapso, sponsi Missionario exhibentur, connubio quantocius iungendi. Sponsae, tametsi multum nequaquam deesse temporis, ut duodennis evaderet certum esset, nonnihil tamen adhuc requiri compertum erat. Periculum plane suberat, ne si infecto connubio sponsi dimitterentur, parentes ira perciti, eosdem innuptos una morari cogerent, quin de connubio Sacerdotis praesentia cohonestando, unquam in posterum fortasse cogitarent. In hisce rerum adiunctis Missionarius ea ratione innixus quod de impedimento lege tantum positiva statuto res esset, atque connubio *facti* dubium obesset, impedimentum per Vicarium apostolicum auferri posse contendebat. Vicarius Missionario annuit, et sine mora connubium sponsi inierunt.

XVII. Ethnicorum connubiis indica lege, quam ratam habuit Anglorum imperium, octavus aetatis annus, si de feminis sermo sit, praestituitur; ita tamen ut sursum ab anno aetatis secundo, nuptui quovis tempore tradi permissae sint. Mares quod spectat, tametsi trium nobiliorum tribuum hominibus lex praefata consilium praebeat ut adolescentes connubio haud copulentur, studiorum curriculo necdum absoluto, nulla tamen ad id est aetas legis vi praestituta. Quae cum ita se habeant, Missionarii quaestionem aliquando movere de aetate, qua ethnici valide nuptias inire censendi sint. Quod sane novisse quandoque necesse fuerit, tum ad connubia a contuberniis vel etiam sponsalibus discernenda, tum ut scite decernere valea-

mus, num coniugis ethnici praemonitio, Neophyto ad alia vota migrare cupiente, requiratur an non?

Ligamen.

XVIII. Vehementer anguntur quandoque ex Missionariis nonnulli, quoad annuendum de novo ineundo connubio iis, qui priori coniuge in longinquas regiones profecto, orbatos se asserunt. Quemadmodum enim res ita quandoque narratur, ut nec epistolae ope prioris coniugis mors sciri queat, ita periculo plena res esse videtur fidere iis, qui rei testes corrogati adducuntur. Officiose enim mentiri Indi plerique, saltem quo facilius connubia iniri valeant, fere dixerim obsequium Deo praestitum arbitrari videntur.

XIX. Venantiam, tribu Pareas, viduam esse testantur, et ad secunda migrare vota iubent contribules. Priorem maritum vitae certo valedixisse in insula Taprobana, plures antehac testati fuerant, qui inde venerant ubi tumulum eius, oculis conspexisse se suis affirmabant. Missionarius Venantiae annuit de novo ineundo connubio. At quarto exhinc mense vix elapso, Venantia subaudit maritum, non solum in vivis agentem, sed ab insula reducem esse. Quid faciendum mulieri? Quid eam facere iubebit Missionarius?

XX. Basilius, uxore Barbara in ora Coromandelica derelicta, migravit in insulam Bourbon. Vix illic appulsus, asiatico morbo corripitur et a sociis deseritur in publica iacens via, atque extremo spiritu fere ludens, prout iidem ipsi, in

patriam reversi, testantur. Duodecim anni sunt, ex quo haec acciderunt, et tanto temporis spatio, ne tenuissima quidem auditio recepta est de Basilio, quem tribules communiter vita functum esse arbitrantur; praesertim cum ex sociis praedictis unus medendi arte, ut fertur, peritus Basilium convalescere non potuisse fidenter asserat. Haec omnia cum ita se habeant, Barbara ut Alarico, quocum perdudum concubinatu devincitur, rite nubere sibi liceat, instantissime petit.

XXI. Fabiana quindecim abhinc annis maritum deseruit, quin certo sciatur quonam aufugerit. In eo tamen quem maritus incolit pago, iamdiu rumor est eamdem vitae valedixisse. Quomodo eiusmodi fama coeperit ac percrebuerit, non bene constat. Missionarius huc illucque, ubi Fabianam vel moratam vel vita functam esse suspicabatur, litteras dedit, quibus vel nullum omnino, vel rem ignotam penitus illic esse responsum accepit. Quamobrem Missionarius de novo ineundo connubio, Sebastiano firmiter abnuit. Is vero Goanum presbyterum adit, cuius iurisdictioni subest puella, quacum novas inire nuptias molitur, eumque de re omni certiorem effectum ita sibi devincit, ut coram eo connubium inire valeat. Qua de re cum Presbytero nostrum quispiam graviter succenseret, excusationem ille festive afferebat Auctorem quemdam, nec infimi sane subsellii, quem ostendere non recusabat, docentem, coniugi ad nova migrare vota plane licere, quoties coniux alter decem annorum spatio nequaquam paruerit, nec ubinam sit, numque vivat, sciatur.

XXII. Rumor in pago quodam iamdudum sonat, Vincentium quae quinque abhinc annis in insulam Mauritium profecta est, vitae valedixisse. Qui sane rumor primo quidem incessit ex eo, quod ab insula redux nonnemo id rei illic audiisse se dixerit. Deinde vero percrebuit, ob flavam, ut aiunt, febrem, quam in insula illa non ita pridem grassatam esse, ac ingentem populi multitudinem demessuisse, et quidem in ipsissima illa quam Vincentia incolebat regione, certissime constat. Protasius Vincentiae maritus, unaque tribules eius, quo pacto rem Missionario detulerint, ignoratur. Unum quod scitur est, Protasium ab eo cum alia femina matrimonio coniunctum esse. Haud multo post Missionarius loco secedit. Successor vero eius facilius quam par fuisset, Protasio fidem illum adhibuisse, indubia ratione detegit. At quomodo malo mederi liceat, ignorat. Undique enim angustiae. Si de re taceatur, Protasius cum innupta morari perget; si quid iubeatur quod Protasio minime placeat, periculum plane subest, ne iussis obtemperare vir improbus pertinaciter renuat.

Ligamen et aetas simul.

XXIII. Sara indica puella ex haeresi anglicana, undecim annos nata, connubio iungitur Abrahamo sectam eamdem profitenti, et a quo paulo post deseritur. Septem abhinc annis elapsis, Abrahamo, quamvis ad legis anglicae in regione vigentis normam publice compellato, non amplius adparente, lege eadem permittente, novas cum catholico, sed

improbo viro, coram haeretico ministello nuptias inivit. Post haec eum ipsa fidem catholicam amplecti cuperet, Missionarius anceps animo haerebat de agendi ratione.

Clandestina connubia, nec non promulgatio decreti Tametsi.

XXIV. Nullatenus antehac conveniebat, nec fortasse hactenus convenit inter Evangelii praecones, qui australem incolunt Indiae plagam, de promulgatione Tridentinae Synodi quoad connubia clandestina in provincia Tanjaurensi, extra oram maritimam, et conterminis aliis regionibus; affirmantibus aliis, aliis vero negantibus, decretum *Tametsi* promulgatum in ea perdudum fuisse. Affirmans opinio tribus praecipue firmari rationibus videbatur. Primum: more ubique recepto connubia contrahebantur *iuxta formam Concilii Tridentini.* Insuper Sacerdotes Indo-Lusitani connubia validare sueverant quae absque eorumdem permissu coram Missionariis romanis inita erant. Tandem Breve *Multa praeclare* ita fuerat promulgatum ut una simul vulgatum esset Presbyteros, qui Vicarii apostolici iura detrectare non vererentur, nec Sacramentum poenitentiae valide conferendi, nec matrimonia iungendi potestate ulla gaudere. Negantis vero sententiae munimen in eo esse, plurimi arbitrabantur, quod cum in interiori peninsulae parte, fides Christi coli non coeperit nisi Synodo Tridentina absoluta, nullum penitus documentum perstaret quo compertum evaderet decretum *Tametsi*

inibi antehac dudum promulgatum fuisse; ac tandem valida putarentur connubia, Missionariorum praesentia haud cohonestata.

Sacra Congregatio S. O. hinc inde librato rationum pondere, sententiam hanc tulit anno 1853 « Matrimonia inter utramque partem catholicam tali modo (i. e. sine Sacerdotis praesentia) in locis ubi decretum *Tametsi* vel publicatum, vel saltem observatum ab omnibus fuit vigore Constitutionis Clementis et Benedicti XIV, irrita esse ob non servatam formam Concilii Tridentini. » Praeterea reposuit: « Matrimonia celebrata coram Sacerdotibus, a respectivo Vicario apostolico iurisdictionem non habentibus esse nulla. » Responsum istud affirmanti sententiae favere prorsus putarunt alii, aliis aliter opinantibus. Quamobrem de hoc ipso denuo rogata Sacra Congregatio, cum antea datum responsum firmare, tum priorum sententiam probare penitus visa est.

XXV. In orientali eisgangetica India fere ubique Synodi Tridentinae decretum *Tametsi* hac aetate promulgatum est. Sola videtur superesse Madurensis missio, ubi, si maritimam oram excipias, decretum illud huc usque promulgatum non est. Plures, ne dicam plurimi, de re hac nobis haud parum succensere videntur.

XXVI. Haeretici qui post connubium clandestino initum in regionibus illis, ubi decretum *Tametsi* vigere censetur, catholicae Ecclesiae adiunguntur, cogendi ne sunt ad matrimonia in faciem Ecclesiae firmanda? Quid si coniux uterque Ecclesiae gremium una ingrediatur? Quid si alteruter tantum?

XXVII. Cum decretum *Tametsi* in Paroeciis singulis promulgari necesse sit, ut ibi vigere dicatur, dubium in regionibus hisce quandoque Missionariis incessit, quid Paroeciae nomine veniat; quippe veri nominis Paroeciae, si urbem Goam excipias, fortasse nullibi sint. Unde oritur quaestio: in Missionibus illis, quarum ora maritima decreto subesse censetur, interior vero plaga decreto vacare putatur, quousque protendi putaveris decreti promulgationem?

XXVIII. Schismate Goano non ita pridem in regionibus hisce grassante, ex Missionariis nonnullos dicere saepe audivisses, Indos, qui coram Goanis presbyteris, Vicariorum apostolicorum iura perpetuo detrectantibus, connubia inibant, valide prorsus contrahere, quippe quia titulo colorato Presbyteri illi haud carere censendi essent.

XXIX. Ioannes et Anna ex interiori Indiae plaga ubi Tridentina Synodus quoad clandestina connubia, promulgata non censebatur, Tutocorinum ubi vulgata fuerat, profecti erant, ut ibi connubio copularentur. Connubium tamen initum est coram Presbytero Goano cuius iurisdictioni sponsorum neuter suberat. Invalide contraxerunt, aiebat Evergetes Missionarius; idque plane confici arbitrabatur communi theologorum sententia docentium, connubia invalide iniri clandestine, ubi Tridentina Synodus promulgata est. Valide contraxerunt, aiebat protinus ex adverso Paulinus Missionarius alter eo nixus, quod: « Sur la côte et dans les anciennes chrétientés des terres, composées de paravers seulement on proclame les bans

des mariages, et nulle autre chrétienté ne proclame les bans.»

XXX. Tancredus et Ariminia invicem desponsati tribu Paravae, et Goanam iurisdictionem, schismate iam sublato, sectati, Tutocorini, idest in sponsi patria, connubium inire vix poterant, quod tum tribules vehementer de eo dissiderent, tum Goanus presbyter partes eorum qui connubio obsistebant, quadantenus tutari videretur. Quamobrem qui connubio favebant, sponsum (qui ut cognatos inviseret in alium Paravarum, sed ab ora maritima procul consitum, et romanae iurisdictioni subditum pagum nuperrime se contulerat) ibidem subsistere iubent ad ineundum connubium; illuc interea sponsa quae ex alio erat Paravarum pago Goanae iurisdictioni subdito, sat festine transmissa. Mense circiter inibi commoratus fuerat sponsus uterque, cum Missionarius romanus Athenagoras pagum invisit. Mox ei res tota defertur, isque de statu sponsorum libero certitudine sat comparata, sponsos nulla interposita mora connubio iungit. Hisce Tutocorinum fere statim reversis, en adest Goanus presbyter, qui iura sua Nostrum quempiam sibi arrogasse vehementer conqueritur. Ex nostris etiam non deest qui Athenagorae de re succenseat, innixus praesertim Sacrae Congregationis Concilii declaratione ab Urbano VIII anno 1631 firmata, quae sic se habet: « Sacra Congregatio censuit, dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti: vir et mulier a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi deserentes, et ad locum alterius

Paroeciae, solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram Parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur per Sacram Congregationem declarari an huiusmodi matrimonium sit nullum, vel validum. Sacra Congregatio etc. secundum ea quae proponuntur censuit, esse nullum. » Arcontus vero hisce omnibus nequaquam commotus, huic et illi pariter satis fieri contendit, alia Sacrae Congregationis Concilii declaratione sic a Fagn. (in cap. *Significavit*) relata. « Traiectenses vir et mulier timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquando morati matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate, alias de novo referendum in Congregatione.»

XXXI. Marinula domo paterna Karicalii, in Missione Pudiceriensi, discessit, ut aliquot menses, vel etiam fortasse annum, commoraretur apud materteram Nagapatami, in Madurensi Missione. Utrobique Tridentina Synodus promulgata censetur. Vix unam hebdomadam Marinula materterae domi transegerat, cum initum est consilium de puella nuptui mox tradenda Hieronymo militi indigenae ab urbe Madraste, sed Nagapatami quasi in praesidio paucis abhinc diebus degenti, cuique Marinulam nuptui tradere iamdudum parentes in animo habebant. Absque mora Missionario se sistit spon-

sus uterque; is vero dubitat an Marinula et Hieronymus domicilium Nagapatami contraxerint.

XXXII. De vagis matrimonio iungendis geminum quandoque dubium Missionarios incessit. Primum: quinam vagi censeri debeant in regionibus hisce, ubi non solum incolas plane nomades deprehendere est; sed alios etiam non paucos qui vitam fere transigunt ex una in aliam migrantes regionem, ea mente ut ibi per magnam anni partem, vel etiam plane diu morentur ubi victum et opem de facili sibi valeant comparare, secus alibi cito admodum profecturi.

XXXIII. En tibi casus, qui non ita pridem contigit. Vignetus ex insula Bourbonica secedens, Pudicerium, clarum gubernii munus inibi obiturus, navigabat; cum Macrobius a Navarco secundus, apud filiam illius Ariannam, parentis in itinere comitem, amore haerens, sponsalia, Vigneto sciente et consentiente, cum eadem inivit, ea sane mente ut navi Pudicerium appulsa, connubium iniret. Brevi navis ad terram applicatur, et absque mora Ariannae parens Praefectum apostolicum Pudicerii degentem invisit, eumque ut sponsos matrimonio quantocius iungat instanter orat. At Praefectus de re abnuit, ea nixus ratione, quod Arianna nullimode domicilium Pudicerii contraxerit, quo sane ea mente pervenerat, ut fere statim discederet. Addit etiam sibi inlicitum plane esse Macrobii matrimonium praesentia sua cohonestare absque litteris, quae liberum eius statum rite testentur. Vignetus haec inaudiens atque moleste ferens litteras ad Missionarium alibi degen-

tem extra ditionem Gallicam dare festinat, rogans ut Ariannae liceat, connubio inibi iungi, ex eo praesertim quod Macrobius diutius in insulam reditum differre non posset, ac insuper vagus censeri merito videretur, quippe qui quatuordecim ante annos Gallia discessisset, atque exinde quandoque in insula Bourbonica, quandoque vero in insula Mauritio, nuper tandem in insula Madagascar, saepius autem in mari, fuerit commoratus.

Impotentia.

XXXIV. Saepissime accidit in regionibus hisce ut christianae puellae nuptui tradantur legali quidem pubertate, i. e. duodecim annorum aetate completa, sed physice plane impuberes; quo sane fit, ut initis nuptiis vel apud parentes maneant, usquedum aptae marito fiant, vel si in eadem cum sponsis domo morentur, ab eis tum ob morem in regione receptum, tum ob parentes rei ne fiat solerter admodum attendentes, minime cognoscantur. Id sane saepissime causa est cur mares libidini se se dedant. Missionarios, quoad rem hanc, triplici eaque contraria ratione, se gerere quandoque contingit. Quosdam audire est asserentes, maritos ab uxoribus haudquaquam nubilibus cognoscendis deterreri oportere; quippe copula in hisce rerum adiunctis naturae contraria dicenda sit. Contendunt alii, ad praecavenda maritorum peccata operae pretium esse eisdem animum addere ut uxoribus etiam nondum nubilibus uti nitantur, tum quia in huiuscemodi rerum adiunctis

seminatio extra vas praeter voluntatem accidit, tum quia conatus eiusmodi pubertatem festinant atque maturant. Alii tandem non desunt qui in huiusmodi re, Sacerdotem id solum praestare debere contendunt, ut maritos a peccato deterreat. Ulterius progredi nefas, aiunt; sancta enim sancte tractanda sunt.

XXXV. Praeter antecedentem saepissime occurrentem casum, en alius qui rarissime quidem sed aliquando contingere potest. Damasus adolescens vix unquam stimulos carnis perpessus, coelibem vitam perlibenter duxisset. Sed hinc ob receptum in regione morem, ne dicam legem, ut adolescentes quoad eius fieri potest citissime nuptias ineant, inde vero ob parentum imperium viam universae carnis ingressus, matrimonii ligamine vincitur. At en! statim ab eo, aversationem quamdam experiri se erga mulieres non parum miratur, quam sane tametsi ante connubium quoque fortassis experiretur, non satis tamen advertebat. Ea vero ita se habet, ut praeter genitricem nulla sit femina, erga quam repugnantiae cuiusdam sensum non capiat. Praeterea quoties uxore uti vult et adgreditur, fastidii sensum, nedum voluptatem nullam, ex ea re adeo capit, ut frigiditate quadam singulari correptus et impeditus, coniugalem exercere actum plane frustra nitatur. Ei tamen accidit aliquando ut cum de coitu cogitaret, atque ad eam iam iam se rem appelleret, voluptate seu delectatione subito concita, sperma emitteret, quin tamen cum mox iungeretur uxori, membrorum ulla genitalium commistio, voluptas ulla, ulla copula existeret. Sex

anni sunt ex quo Damasus nuptias inivit. Connubii vehementer pertaesus iacet. Uxor eius moerens de marito conqueritur. Re tribulibus nota, eorum alii Damasum perinde ac erga uxorem inofficiosum improbant; alii vero ut imbecillum irrident. Res in omnium vicanorum sermonem venit, atque sermonis ansas viciniorum incolis praebet. Rem omnes mirantur, atque vix est qui non carpat.

XXXVI. Quaeritur a Missionariis quandoque: *utrum impedimenta consanguinitatis, affinitatis et publicae honestatis, qua ecclesiastico iure statuta, neophytos aeque ac alios Christifideles attingant?*

CASUUM RESOLUTIONES.

Ad I. Adulterium non putativum, sed verum, ex utraque parte formale et consummatum (quod in foro externo praesumitur, in foro conscientiae non item), cum promissione non solum vera sed absoluta, vel si conditionata, ante coniugis mortem purificata, ab uno facta, et ab altero signo aliquo acceptata (taciturnitas enim non sufficit), dirimens criminis impedimentum inducit. In casu, adulterium Pomponiae, formale fuerit nec ne minime constat. Etiamsi fuerit formale, impedimentum tamen, utpote quod iuris sit ecclesiastici, infidelibus afferre non potuit; ideoque tametsi post baptismum connubii promissio intercesserit, impedimentum oriri non potuit, modo adulterium nequaquam fuerit baptismo suscepto iteratum.

Quod sane constituendum, etiamsi sponsi in adulterium, baptismo suscepto, relapsi essent, modo connubii promissio iterata non fuerit.

Ad II. Homicidii suspicionem quod attinet, ea qua poterit maiori dexteritate, in rem Missionarius sedulo inquirat, praesertim inter audiendam Barnabei confessionem. Haud mirum tamen si rem sacrilego prorsus mendacio celari, nedum alto silentio premi, contingat. Quod sane si accidat ipsi viderint, qui tam improbe silere, vel mentiri non reformidant. Missionarius munere suo functus est. Adulterium quod spectat, suapte natura impedimento ortum praebet. Cum enim fidelis sponsus directe, tum ethnicus indirecte, prout de cultus disparitate dicturi sumus, ecclesiastica lege vinciuntur. Connubii autem promissio, specie quidem tenus conditionata, plane tamen absoluta dicenda est. Adulterium enim ex iure matrimonium dirimit, quando accedit vel promissio matrimonii futuri, contrahendi scilicet post coniugis mortem, vel vivente coniuge audax tentamen ad ineundum de praesenti connubium (cap. cum haberet §. De eo qui duxit etc.). Impedimenti ratio cessaret tamen omnino, ut patet atque Doctores notare solent, si promitteretur matrimonium, coniuge alio adhuc in vivis agente, ineundum. Unum quo Barnabeus impedimento nequaquam subesse fortasse dicatur, eiusdem esse poterit ignorantia, de qua re ad casum sequentem disputare festino.

Ad III. Duo hic disputanda se offerunt. Primum, utrum si dispensatione opus fuerit,. verba quibus dispensandi potestas Vicario fiebat, impe-

dimento esse potuerint dispensationi? Alterum vero: num casus, prout sese habet, dispensationis necessitatem pro connubio ineundo, revera subaudiat? Primum quod attinet, si homicidium, vel uterque noverit, vel saltem innocens coniux, aliusve quispiam, suspicabatur, impleta plane censenda erat conditio, *quando ex non secuto matrimonio detegi posset crimen;* connubium enim infectum suspicionem, sin minus illico, at lapsu temporis magis magisque firmare, ac tandem criminis retegendi occasionem praebere posset. Si vero crimen scierit dumtaxat quae patraverat mulier, conditio illa nequaquam impleta videtur. Si enim vel sic in lucem crimen perferri posse, prout clausula illa requirit, constituas; quandonam quaeso crimine occulto, conditio minime impleta censenda fuerit?

Alterum vero quod spectat, cum rudis minervae homines, praesertim in hac regione, ex crimine impedimentum oriri vix unquam noverint, ad quaestionem revocamur inter Doctores magnopere controversam, an impedimento, quod poenae rationem praecipue complectatur, teneantur vel illi qui legem, sin minus qua prohibentem, at certe qua punientem nescierint. Sanchezii, Navarri aliorumque negativa sententia, ut vere probabilis propugnatur et traditur in Seminario Romano, nec non in consessu Examinatorum Romani Cleri. Rationem vero cui sententia haec nititur, ita profert Schmalzgrueber (l. 1. tit. 39.) « Est instar regulae, quod committens aliquod delictum, subiaceat quidem poenis tali delicto proportionatis, non autem

aliis extraordinariis, quae imponuntur ad vitandum frequentem delicti usum, vel ob aliam causam, nisi delinquens scierit, delictum sub ea poena prohibitum esse.» Quod sane Navarrus etiam docuerat. « Addit Navarrus, ait Sanchez, quoties poena est exorbitans et extraordinaria, cuiuscumque generis sit, si illa ignoretur, etiamsi delictum committatur, non incurri.» Quare Navarrus deinde (cap. man. 22.) docet: « Si uterque probabiliter ignorat (impedimentum), possunt matrimonium contrahere, simul atque mortuus fuerit qui impediebat. »

Sententiae contrariae patroni, trina partiti sunt acie. Alii criminis impedimentum, tametsi lege poenali constitui non denegent, ignoratione tamen, a poena non excusari, ideo contendunt quod a culpa minime excusetur. Eminet inter hosce Suarez. Alii vero hinc gradu facillime dimoveri se pervidentes, crimine ortum impedimentum, non poenam dicunt sed medicinam, quae ignorantibus etiam ideo paretur, quod delicta patrandi occasionem sic auferri contingat. Suarezius hinc etiam suppetias nutanti sententiae suae ferre conatur. Sed Sporerus et alii in ratiuncula hac praesertim nituntur. Quibus addere est Dianam qui impedimentum istud inhabilitatem mavult quam poenam vocare. Postremi tandem, hanc et illam pugnandi rationem pariter dimittentes, ex Curiae Romanae praxi Sanchezii et Navarri sententiam impetunt. Profecto quoniam inter se pugnare coguntur, qui sententiam hanc impugnare conantur, non bonam eos tueri causam facillime intulerim.

At brevissime dicam ad singula. Primum quo pugnatur, vero consonum est, si sermo fuerit de poena ordinaria, ideoque etiam de poena decreto Dei communiter in universum sancita. At valere etiam quoad extraordinariam, humana lege sancitam poenam, quis asserat? Dices: quid ergo de affinitatis, ex copula illicita, impedimento? Haud commode respondetur, Doctores plures, quos citat Engel (l. 4. tit. 14. n. 11.) in ea fuisse sententia quod ab hoc quoque impedimento ignorantes excusarentur. Melius profecto dicitur, inhabilitatem ex affinitate, suapte natura delictum minime subaudire, sed solum propinquitatem personarum, quae ex sanguinis commistione oritur. Quod aciem alteram spectat, quid quaeso proderit ignorata medela? An non Suarezius et alii, ideo censuras incurri negant ab ignorantibus quod huiusmodi poenae sint medicinales? Sibi igitur plane cohaerent Sanchez et alii, qui ex hoc etiam capite criminis impedimento subesse pernegant ignorantes. At enim: censurae, contumaciam requirunt specialem. Non inficior. Sed quemadmodum monitio et comminatio legis ipso facto imponentis delinquenti censuram, suapte natura, citra aliam contumaciam, sufficiunt; ita eorumdem notitia plane requiritur. Requiritur ergo cognitio quoque, ut criminis inducatur impedimentum. Quare Hannoldus medicinae rationem despiciens, impedimentum de quo loquimur poenam esse quidem, sed non extraordinariam, adversus omnium omnino Doctorum sensum, doceri oportere arbitratus est quo Sanchezii sententiam facilius im-

peteret. Inhabilitatem quod attinet, frustra difficultatem huiuscemodi vocula tolli putares, quandoquidem inhabilitas ipsa in criminis poenam statuta sit.

Aciem postremam ducere visus est Pyrrhus Corradus. Contra eam sic pugnat Ballerini (l.c.): « Arguunt insuper ex praxi et stylo Curiae, quod reis huius criminis, nunquam permittatur contrahere sine dispensatione, ut testatur Pyrrhus Corradus (Prax. disp. ap. l. 8. c. 9); quocirca Diana opinionem negantem habet ut valde praeiudicialem sacris tribunalibus Poenitentiariae et Datariae Romanae; cui instantiae reponi potest cum Benedicto XIV (quaest. can. 183) quod cuiusvis dispensationis, aut facultatis concessio, vel negatio per Sacras Congregationes, neque controversiarum statum, neque iurium conditionem ullo modo immutat. Proinde sicut (ut l. c. docet idem Benedictus XIV) dispensatio concessa, vel negata super irregularitatibus, vel censuris, non evincit incursum in irregularitatem vel censuram, nec concessio, aut negatio facultatis petitae, v. g. a Regulari mendicante, qui vi suorum privilegiorum ea iam pollebat, nihil ipsius aliorumve Regularium privilegiis detrahit; ita nec dispensatio concessa ad matrimonium contrahendum, evincit certam impedimenti existentiam. Et sane numquid praxis est tribunali Sacrae Poenitentiariae aut Datariae, ut mandent, matrimonia sine dispensatione celebrari posse? Ad id vero, quod subditur ex Diana, bene notat Krimer (cit. lib. 4.), nullum per hanc opinionem praeiudicium iniuriamve iis tribuna-

libus fieri: secus abolendae forent opiniones omnes theologorum, quae subinde necessitatem negant petendae dispensationis; at enim per usum talium opinionum quidpiam iis tribunalibus iure debitum detrahi, aut negari, contendit nemo. »

Ad IV. Optima leges interpretandi regula est inspicere ante omnia, quinam sit legum ipsarum finis. *Finis enim,* ut ait adagium, *est regula eorum quae sunt ad finem.* Quid igitur causae fuerit, cur occulto criminis impedimento pia mater Ecclesia derogari permittat? Ut periculo scandali quidem Christifideles omnes, infamiae vero aut suppliciorum sponsos eripiat. Quoties itaque, infecto connubio magis quam inito, ob maiorem criminis pervulgationem, pericula huiusmodi suberunt, toties facta Vicario apostolico dispensandi potestas, plane vigere videtur. Porro si nonnisi sponsorum alteruter caedem vel machinatus fuerit vel perfecerit, periculum esset accusationis ab altero, si cum eo matrimonium inire renueret. Quod si uterque pariter caede se cruentarit, periculum ne sponsorum alter, contra alterum, falsis testibus corrogatis (et eiusmodi innumeris aliis quibus falsas accusationes struere Indi facillime solent), quandocumque erigatur vix alia ratione, quam inito sponsos inter connubio, amoveri posse videtur. Quo sane casu tametsi crimen vel occultum per se, vel infecto connubio fortasse palam faciendum, absoluta ratione, dici non possit; sic tamen se rem habere plane dixerim quoad dispensationis largiendae finem, qui, ut supra dixi, in eo esse videtur, ut criminis ea devitari valeat

promulgatio, ex qua scandali, aut infamiae, aut suppliciorum periculo sponsi, vel alii obiiciantur.

Ad V. Cum impedimentum istud nonnisi consuetudine inductum esse communiter censeatur, graves aliquot non defuere Doctores, teste Ben. XIV (constit. *Singulare nobis*) qui illud nequaquam vigere contenderent in regionibus infidelium, cum primum inibi Christi fidem gens amplectatur. Ea porro nitebantur ratione, quod in hisce rerum adiunctis, consuetudo quae vim legis obtineat, ne inchoata quidem censeri plerumque valeat. Attamen iam ab a. 1627, teste iterum Benedicto XIV, potestas Episcopis facta fuerat, impedimento huiuscemodi derogandi in Sinis atque Iaponia. At enim, ad cautelam id fieri potuit. Verum sit velim. Attamen cum longe plures Doctores impedimentum hocce vigere senserunt, tum consuetudinem hanc iterum iterumque inchoari et perfici in regione quaque, quae Christi fidem recens amplexa fuerit, necesse esse ut ibi vim legis adipiscatur, nulla ratione intelligi posse videtur. Etenim Ecclesiae lex, Pontificis summi sive expressa sive tacita voluntate sancita, statim ac legis vim obtinet, Ecclesiam totam attingit, nisi summus imperans ipse expresse constituat, loca singula haudquaquam respicere, nisi quatenus ibi perficiantur quae alibi effecta fuerant, ut lex primo vigeret. Quare Clemens XIII a. 1759 in Congregatione S.O. ab exercitio facultatum omnium, quas Missionariis Apostolica Sedes largiri consuevit, suspendi mandavit Missionarios quosque, qui dispensatione posthabita, Christifideles cum ethnicis matrimonio

copulare non vereantur; et Sacra Congregatio P. F. anno proxime sequenti, eodem Clemente XIII adprobante, graviter obiurgavit Missionarios, qui in ea erant sententia, quod impedimentum huiusmodi haud vigeret in regionibus illis ubi novissime gens Christi fidem amplexa esset.

Ad VI. Probe secernantur oportet connubia ineunda, ab iis quae tametsi invalide, inita tamen sunt. Clausula prior utrumque connubii genus complectitur, posterior vero priorem dumtaxat nuptiarum rationem attinet. Si itaque nuptiae ineundae sint, Benedictus XIV instructione data ad quosdam Vicarios apostolicos, a.1756, duas tantum ad id conditiones requirere visus est, dummodo tamen de locis agatur, in quibus infideles plures sunt quam fideles. Prima: ut pars infidelis cum fideli sine contumelia Creatoris convivere assentiat. Secunda: ut proles in religione catholica instituatur. Quatuor vix annis abhinc elapsis Sacra Congregatio P. F. epistola ad Vicarium apostolicum Fockiensem in Sinis, tres ad hoc ipsum conditiones exegit: 1. ut in tuto sit fides contrahentis catholici, remoto probabili periculo perversionis; 2. ut in tuto sit educatio prolis, datis debitis cautionibus; 3. ut interveniat probabilis spes de conversione contrahentis infidelis, et in locis tantum ubi plures sunt infideles quam catholici. Addit praeterea, dispensationem super impedimentum huiusmodi, faciendam non esse, *nisi in casibus raris et extraordinariis*. Tandem a. 1801 Pius VII Missionariis Ordinis Praedicatorum in provincia Fockien. concessit « ut possint dispensare super

impedimentum disparitatis cultus, cum iis qui morbo periculoso aegrotant, neque suaderi possunt ut mulieres paganas in concubinas sibi additas a se abdicent; praesertim si prolem ex iis susceperint. » Ex quibus sane omnibus invicem collatis inferri posse videtur, animae, aut corporis, aut fortunae, ni connubium cum ethnico contrahatur, periculum merito formidandum, satis esse, ut *casus rarus et extraordinarius* (raro enim et praeter communem rerum in regionibus hisce cursum, periculi illa formido suberit) revera habeatur, qui impedimenti dispensationem requirat. Insuper merito infertur de causae huiusmodi gravitate eo minus laborare nos oportere, quo magis impleta fuerit alia, quam casus commemorat clausula, ideoque gravior accesserit impedimento derogandi ratio. Quae sane clausula ex S. Congreg. P. F. ad Vicarium apostolicum Fockien. a. 1804, ita intelligenda est « ut locum habeat ubi in tota regione, de qua habenda ratio est, plures sunt infideles quam fideles, etiamsi in uno aliove pago plures numerentur fideles quam infideles. »

Si de connubio invalide inito sermo sit, tria praesto sunt quibus in casu enodando iuvemur. Primum est responsum S. Congregationis S. O. a. 1736 ad Vicarium apostolicum Tunkini orientalis, quo gravis dispensationis faciendae causa dicitur « Salus animae illorum qui in tali matrimonio iamdiu contracto absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab iisdem separari. » Alterum est Benedicti XIV an. 1756 ad quosdam

Vicarios apostolicos instructio, in qua haec habentur: « Si agatur de matrimonio invalide contracto inter fidelem et infidelem, monendus erit fidelis quale commiserit peccatum; deinde ad tempus separabuntur, si sine tumultu fieri possit, iniungeturque poenitentia salutaris interim peragenda; qua persoluta, si adsint duae conditiones (illae ipsae nimirum quas nuper ex eodem Summo Pontifice commemoravimus) requisitae, poterit concedi dispensatio, ut legitime contrahant.» Postremum est instructio Clementis XIII anno 1769 data ad Missionarios Sutchuenses, quae, propositum nostrum quod attinet, sic se habet: « Si matrimonia iam inita fuerint inter catholicos et infideles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus, tum Missionarius sequenti modo se gerat: 1. ut eae dispensationes nonnisi veris catholicis indulgeantur, et ubi coniux in infidelitate permanens baptizari renuit. 2. Ut tunc solummodo concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura. 3. Dispensationes huiusmodi gratis omnino, et absque ulla prorsus mercede impertiantur. 4. Ut in concessione, coniugi catholico commendetur atque iniungatur catholicae prolis educatio, et quod curare debeat modo quo fieri poterit, coniugis infidelis conversionem.»

Ad VII. Vicarii anxietas apte levatur verbis illis Clementis XIII (instructione praefata). « Cum Missionarius habeat etiam facultatem dispensandi super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, faciliorem se praebere debet in huiusmodi dispen-

sationibus concedendis, si in hac regione matrimonia inter catholicos iungi possunt, potiusquam in dandis dispensationibus super disparitate cultus, ad effectum ut catholici cum infidelibus matrimonia contrahant.» Quae tamen nullatenus subaudire dixerim, recte malle nos aliis impedimentis quam cultus disparitati derogare, etiam cum magnum aliquod emolumentum, idque spirituale, matura spes, puta, fore ut coniux ethnicus Christi fidem brevi amplectatur, ex facta postremo huic impedimento derogatione expectatur, dum ex alio impedimento sublato, vix aliud sit oriturum praeter hoc, ceteroquin honestum, ut fidelis cum infideli connubium haudquaquam ineat.

Ad VIII. Tria probe distincta, ad huiuscemodi casus enodationem, breviter discutiamus oportet. Quid nempe de bona in huiusmodi rebus fide; quid de periculo perversionis; quid denique de praeviso monitis obtemperandi renutu constituamus necesse sit. Primum quod spectat, en tibi verba S. Congreg. P. F. in praefata ad Vicarium Fockiensem in Sinis data instructione. « Difficile est in praxi cognoscere ubi ignorantia invincibilis inveniatur.... Sola notitia carentiae impedimenti dirimentis, non semper ignorantiam et errorem invincibilem reddit. Nam iuxta S. Thomam (1. 2. q. 19. a. 6.) *Si ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directe, vel propter negligentiam, quia error est circa quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis vel conscientiae non excusat, quin voluntas concordans rationi vel conscientiae sic erranti, sit mala. Si autem sit error qui*

causet involuntarium, proveniens ex ignorantia alicuius circumstantiae absque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conscientiae excusat, ut voluntas concordans rationi erranti, non sit mala. Quis autem dicere valebit invincibilem esse in aliquibus circumstantiis ignorantiam et errorem alicuius fidelis, qui contraxit matrimonium cum infideli absque cognitione impedimenti dirimentis? Scire tenebatur, scire poterat, vel ab usu notorio aliorum fidelium, vel ab instructione Missionariorum, qui clamant quotidie: non astitit instructionibus; consilium non petiit, statum coniugalem amplectendo; passiones, desideria carnis, habitus corrupti, fuerunt eius duces. Iuxta autem Doctorem Thomam, ignorantia et error qui nascitur a passionibus, et pravis consuetudinibus, dici nequit invincibilis, neque excusari potest a peccato; sed solum illa quae procedit a carentia scientiae alicuius circumstantiae, quae cognosci a diligentibus non potest: *Ignorantia particularis, quae totaliter excusat, est ignorantia circumstantiae, quam quidem quis scire non potest, debita diligentia adhibita. Sed passio causat ignorantiam iuris in particulari, dum impedit applicationem communis scientiae ad particularem actum, quam quidem passionem ratio repellere potest* (1.2. q.77. art.7 ad 2.). Unico verbo tunc invenitur ignorantia invincibilis, quando procedit non a passione, sed a necessitate, et a carentia principii dubitandi, et medii inquirendi.» Ex quibus sane probe perpensis, casum quod attinet, sponte veluti sua fluit, Manuelam de facili

posse in bona, quoad connubii validitatem, versari fide. Non enim passiones, non desideria carnis, non consuetudines pravae, sed parentum auctoritas ductum puellae praebuit in connubio ineundo. Insuper potestas illa, quae, more in regionibus hisce recepto, herilis potius quam patria est, puellam adegit ad ineundum connubium. Ergo facillime eiusdem menti nequidem occurrit in huiusmodi re, etiamsi magni plane momenti, maiorem diligentiam ab ea prorsus requiri. Ceterum bona fuerit nec ne fide puella, plerumque paucis ab ea solerter rogatis quaestionibus, disci facile poterit. In quo tamen id caveas velim, ne ex eo quod mulieris menti culpae species obversata fortasse fuerit, continuo inferas eam, de connubii validitate, in bona nequaquam versari fide. Scientia enim quoad prius illud optime stare potest, ut patet, cum invincibili prorsus de postremo hoc ignorantia.

Perversionis periculum quod attinet, primum inspicere praestat, num ei causam praesertim afferat mariti affiniumve nequitia, vel potius uxoris infirmitas. Quod si primum accidat, non abs re erit inquirere denuo, num Manuela ad actus impellatur superstitione foedatos, vel prohibeatur dumtaxat quin religionis christianae actus perficiat. Aliam enim agendi rationem alia periculi ratio postulat. Idque in primis maxime commendatum habeas oportet, ut certum ab incerto secernas perversionis periculum. Si enim incertum fuerit, quod sane casus subaudit, non est cur Missionarius magnopere angatur. Remedia Ma-

nuelae praebeat, malo, quoad eius fieri poterit, praecurrentia; atque praesertim efficiat, ut ad poenitentiae tribunal muliere identidem redeunte, periculum, si forte subsit, plane retegi valeat et amoveri. Si vero periculum certo subesse constarit, iis utere, quae instructione saepius citata docentur. « Curandum est, ut periculum a proximo fiat remotum, et facta experientia a suis (mulieris) conatibus et dissensibus continuis, levaminis gratia, prudenter illi conferre Sacramenta; at nunquam concedere illi dispensationem, nisi actualiter esset periculum perversionis. »

Obtemperandi renutum quod spectat, dubium occurrit, num rationi consonum videatur, an non, futurum illum metuere vel suspicari. Cuius sane dubii causa in eo est quod si Manuela Poenitentiae Sacramento suscipiendo satis parata habeatur, eo etiam animo esse, ut praecepta omnia servare velit, mox ut sibi innotescant, censeatur oportet. Quod sane postremum si deesse putetur, prius etiam abesse constituatur necesse est. Revera istiusmodi spectans rationem S. Congregatio (instructione citata) vel monitionem aperte faciendam, vel absolutionem plane denegandam constituit. Attamen, quidquid sit de eo quem Sacra Congregatio enodandum sibi proposuerat casu (qui certo non parum a nostro differt), Manuelam quod attinet, trino eoque indubio principio ducimur ad sententiam aliter prorsus ferendam. Primum est quod S. Alphonsus (l. 6. n. 610.) docet, ad poenitentiae Sacramentum rite accipiendum, satis esse dispositionem praesentem et actua-

lem, quin requiratur futura seu *interpretativa.* Aliud est, quod idem S. Alphonsus ibidem tradit: « Sententia communis et vera docet, quod si poenitens laboret ignorantia inculpabili, sive sit iuris humani, sive divini, et non speretur fructus, imo prudenter iudicetur monitio esse magis obfutura quam profutura, tunc confessarius potest et tenetur omittere. » Et n. 614. « Infertur (ubi non speratur fructus) omittendam esse monitionem, etiam quando timentur scandala aliorum, infamiae, rixae. » Et speciatim de matrimonio (ib. n. 611.) « Si confessarius noverit, poenitentem invalide contraxisse matrimonium ob aliquod impedimentum occultum, et periculum sit infamiae, scandali aut incontinentiae, si nullitatem manifestet; tunc debet omittere monitionem, et illum relinquere in bona fide, donec obtineatur dispensatio. » Postremum denique est illud quod S. Alphonsus mutuatur a Paulo Segneri, nimirum occasionem peccati proximam devitare haudquaquam teneri eum, qui, ea non remota, peccatum evadere potest facilius quam occasionem ipsam auferre. Atqui Manuela ob bonam in qua versatur (saltem connubii validitatem quod attinet) fidem, facillime peccato abstinet. Insuper moraliter impossibile, nedum plane arduum, ei est, invitis hinc et inde cognatis, maritum deserere. Quaestionem ergo concludere liceat ipsissimis Sacrae Congregationis verbis (loc. cit.): « Potest illi celari veritas legis irritantis, quam non observavit, quando poenitens de illa admonitus, ut exeat ab aliquo statu malo et periculis pleno, ob facti circumstantias

deberet ad alium statum transire maioribus periculis et lapsibus expositum, propter quae multiplicarentur peccata, et non tollerentur, nec diminuerentur, spectata communi fragilitate humana.» Quae cum ita sint, et aliunde Manuelae periculum quoad fidem vel non immineat ex contubernio cum ethnico viro, vel ex proximo in remotum haud difficiliter mutari possit, quippe quia parata sit media ad id sibi praescripta adhibere; nihil esse videtur cur ei denegetur absolutio sacramentalis, dum expectatur ut impedimento fiat derogatio.

Cultus disparitas Christifidelem inter et acatholicum.

Ad IX. Equidem teneri nos ab huiusmodi mistis connubiis avertere catholicos, docuere saepissime sancti Patres. Idem docuit S. Congregatio S. O. ex Benedicto XIV et Clemente XIII instructione data anno 1759 ad Episcopum Coccinensem. At quemadmodum ibidem Missionarii monentur « nec tamen debent tumultibus se exponere ad huiusmodi matrimonia impedienda,» ita errantes qui in bona versantur fide (prout versatum esse virum illum primarium, quem Riconius acrius profecto, quam par fuisset, increpare non verebatur, verisimilius putarim), de lege monere, cum id profuturum haudquaquam speratur, officii est non executio sed plane desertio. Insuper perperam clamat Riconius, mista connubia nunquam licita esse. Ut enim notat Moser, id solum dici fas est,

« si adhuc dispensatione posita pontificia, perseveret periculum perversionis. » Etenim dispensatio, earum quas requirit cautionum ope, pericula proxima in remota mutare conatur, et legi derogat positivae, qua catholico sponso in divinis cum haeretica parte communio alias prohibita esset. Porro gemina ista conditione semel impleta, ratio plane sufficiens non deest, ob quam Sacerdoti fas sit, haeretico sponso, quoad illicitam Sacramenti susceptionem, praesentia sua veluti cooperari. Quae sane omnia si aliter se haberent, vix non frustra fieri dispensatio dicenda foret. Quare quae Pius VI et Benedictus XIV de connubiorum huiusmodi in universum improbatione statuere visi sunt, intelligere quidem debemus de omnibus generatim, ob geminum sane grave periculum, quod subesse inficiabitur nemo; ut scilicet, vel cautelae specie tenus dumtaxat adhibeantur, vel connubia mista, Ecclesia annuente, ineundi spes, Christifideles ad amores cum acatholicis incipiendos alliciat. At perperam illa intellexeris de singulis huiusce generis matrimoniis. Quamobrem tametsi Pius VI praefata ratione locutus esset, attamen Pius VIII ait solum, nihil praestare se velle quo videretur factis, saltem *indiscriminatim,* matrimonia illa adprobare.

Ritum Ecclesiae quod attinet, Pius VI non solum benedictionem huiuscemodi nuptiis largiri, sed etiam sacra veste indutum, vel in loco sacro, Sacerdotem eisdem adesse vetuerat. Attamen in sacristia, vel ad fores Ecclesiae, sponsos de consensu rogare, fas esse existimabatur; quippe sic quoque impleri posse visum sit illud quod Pius VI anno 1802

Nicolao Champenais Episcopo Dolichensi Missionis Malabaricae (dicas velim Coromandelicae) Superiori praescripserat, ut *private* et *secreto* connubia haec inirentur. Insuper nihil profecto oberat quominus in sacellis illis, quae in regionibus hisce veri nominis Ecclesiae (aedes sacrae nimirum ab Episcopo benedictae) dici nequeunt, Sacerdotes mistis connubiis adessent. In praesens vero, ab anno scilicet 1858 remissum paululum est de rigore ecclesiasticae disciplinae, quoad rem hanc, prout innotuit instructione a feliciter regnante Pio IX per Cardinalem Antonelli ad Ordinarios quosque transmissa. Cuius en tibi summa.

I. Ad dispensationem super mista connubia faciendam, catholicos inter et acatholicos, ea rescripti formula S. Congregationis posthac utemur, in qua conditio, ut extra Ecclesiam, et absque Parochi benedictione, alioque sacro ritu, mista connubia ineantur, haud aperte declaratur, sed implicite continetur; quae sane formula antehac quandoque usurpata fuerat, quandoque non. II. Sacrorum Antistitum arbitrio prudenti, eorumdemque onerata conscientia committitur, ut diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, personarum adiunctis, iudicium ferant quandonam (salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge acatholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda) conditiones de contrahendis hisce connu-

biis mistis extra Ecclesiam et absque Parochi benedictione, impleri minime possint, quin graviora exinde oriantur damna et mala; nec non quando in promiscuis hisce connubiis ineundis, tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae benedictione. III. Tametsi Ecclesia sic paulo remittat de rigore, quoad eum quem mistae nuptiae comitem habent ritum, nihil tamen remittit de abhorrentia a connubiis iisdem, ob catholici cum haeretico in divinis communicationem, nec non id periculi, quod ille pariter atque proles fortasse subibunt perversionis. Quamobrem quemadmodum commonentur Ordinarii ut, quoad eius fieri possit, ab huiusce generis nuptiis catholicos deterrere conentur; ita summopere exoptat Sanctitas Sua, ut Sacrorum Antistites huiusce generis indulgentiam, maiori quo possint silentio servent atque secreto.

Ad X. Quinque fere ad casum hunc enodandum disputanda se offerunt. Primo: quaenam damna adeo gravia censenda sint, ut ad ea vitanda, concesso Pontificis nuper citato uti liceat? Secundo: quomodo intelligi debeat secretum de indulto servandum? Tertio: num ad firmitatem connubii misti, ob eam quae hodie viget legem civilem, connubium ipsum coram ministello acatholico inire necesse sit? Quarto: utrum indulto uti possimus, quoad eos, quos suspicamur fore, ut acatholicum ministellum adeant ad iteranda coram eo connubia? Quinto tandem quid sit agendum cum iis, qui mistum connubium coram ministello,

vel inituros se profitentur, vel cum inierint, catholico postmodum optant ritu honestari?

Primum quod attinet, en Sacrae Congregationis S. O. ad Episcopum Iassensem Vicarium apostolicum Maisourensem in Indiis orientalibus declaratio: « Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna. 1. Quotiescumque ob denegatam matrimoniis mistis benedictionem, facile excitarentur haereticorum querimoniae, et odia adversus fideles, legesque ecclesiasticas. 2. Quotiescumque denegata a Parocho catholico benedictione, sponsi ante, vel post coram illo celebratum matrimonium adeant ministellum, vel etiam heterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam obtinendam benedictionem, Parocho catholico omnino posthabito. 3. Quotiescumque insuper timendum esset, quod recusando ab ipsis expetitam benedictionem, aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et de universa prole in catholica religione educanda, aut quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra, in suae et futurae prolis salutis aeternum periculum transiret....... Haec et similia, gravia illa mala sunt, ad quae vitanda Summus Pontifex indulgere, seu tolerari posse declaravit, in matrimoniis mistis, ut nuptialis impertiretur benedictio. »

Aliud vero quod spectat, en denuo responsi praefati verba: « Quae tertio loco te anxium reddebant circa silentium ac secretum in laudata instructione, quoad posse inculcatum, non ita presse intelligenda videntur, ut nemini innotescat

haec Sanctae Sedis indulgentia, seu potius tolerantia, in benedicendis mistis connubiis. Etenim scias oportet quod Sanctitas Sua monitos esse voluit Praesules, ut non passim, et absque delectu, matrimoniis mistis benedictio impertiatur, nec per publicas instructiones, veluti etiam per modum regulae, tali utantur facultate, sed prudenter admodum, et caute, ut oblivioni non tradantur saluberrimae Ecclesiae conditiones, quae semper implicite talibus dispensationibus adiunctae intelliguntur. »

Ex quibus sane sponte sua consequitur, Ariminium, sin minus quoad secretum apertum, at certe quoad eum quo rem aperuit modum, errasse; sic enim locutus est quasi passim mistis nuptiis ritum adhibere catholicum, hodie fas esset. Nec praeteream, Pontificis concessionem silentio premere fere praestare, ex eo etiam capite quod, vix eam fortasse notam facere valeas, quin ampliorem esse, quam revera sit, plebs christiana plerumque sit putatura.

Coram ministello acatholico mista contrahi connubia necesse non est, ut a lege civili rata habeantur. Quod sane luculentissime patet ex lege quam casus innuit. Sic enim se habet §. 6. n. 1. « Matrimonia christianorum iungi poterunt in India per quemque qui ab Episcopo fuerit ordinatus, dummodo connubium ineatur ratione consona legibus, ritibus, caeremoniis et consuetudinibus Ecclesiae illius, ad quam minister coram quo matrimonium initur pertineat. » Porro nostrorum ordinationem lex ipsa veri nominis ordinationem esse subaudit, imo et profitetur.

Cum tibi suspicio inciderit fore ut sponsi post initum catholico ritu connubium, ministellum heterodoxum adeant, et quidem qua praefectum iis quae religionis sunt, ut acatholico ritu etiam nuptias perficiant; primum omnium caveas velim, ne tua sit inanis et temeraria, vel saltem levis suspicio. Quod si ob receptum communiter in regione, quam incolis, morem, vel catholicae partis in iis quae fidei sunt, peculiarem infirmitatem, vel alia de causa, suspicio rationi consona appareat, a catholico sponso eiusve cognatis dextere rem inquiras, et opinione manente, opportune catholicam partem de re moneas necesse est. Sic enim bonus pastor ovis praecurrat periculo oportet. At, si ad haec sponsus cordate promittere videatur, ad ministellum se non iturum, tuto eius connubio aderis (etiamsi dubium omne fortasse nequaquam abierit), et pro ea quae a Vicario apostolico facta tibi fuerit ad id potestate, catholico poteris ritu mistum illud connubium cohonestare. Cum enim nemo censetur malus nisi probetur, tum sponsi promissio suspicionem tuam satis elidit.

Quoad sponsum mente paratum ad ineundum connubium coram ministro acatholico, dubium sic resolvit Sacra Congregatio responso supra citato: « Attendendum est, an sponsi adeant ministrum protestantem, ut legi tantum civili satisfaciant, an vero ut in sacris communicent. Si hoc secundum, cum minister heterodoxus assistat ut addictus sacris, et pars catholica in sua prava intentione persistat, non potest admitti ad Sacramentorum participationem, usquedum a pravo

resiliendo proposito, vere resipiscat. Qua de re opportunum erit consulere Benedictum XIV de synodo dioecesana l. VI. c. VII. §. 2. » Quibus sane positis, quaerebatur non ita pridem, utrum non solum Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta huiuscemodi sponsis conferri prohibeantur, sed istorum connubia ritu catholico, vel Sacerdotis praesentia quoque honestari vetitum sit? Primum affirmare videntur nonnulli, ea nixi ratione quod cum concessa a Pontifice gratia propositum sibi habeat, ut mista connubia ritu acatholico non perficiantur, frustra penitus esset si ritum catholicum vel eorum connubio adhibere fas esset, qui ritum alium complere in animo habent. Alterum autem pariter affirmandum prima fronte putaveris, ex eo quod Summi Pontifices, Parochi praesentiam huiuscemodi nuptiis indulserint, ne aliter invalide iungerentur, et Doctorum communis sententia sit, ubi nuptiae aliter valide iniri possunt, ibi Parochum eisdem adesse nefas haberi. Attamen istud mihi non usquequaque probatur. Etenim ex citato responso patet indulgentiae scopum non esse dumtaxat, ut facilius avertatur sponsus uterque a connubio ineundo coram ministello acatholico, sed etiam et primo quidem, ne ob denegatam matrimoniis mistis benedictionem, haereticorum querelae et odia contra nos atque nostra cieantur. Praeter hoc alia *similia*, quin immo graviora etiam nec pauca esse posse mala ad quae vitanda Pontificis concessione uti liceat, ex responso ipso citato apertissime constat. Quae sane omnia contingere posse etiam quoad eos, quos acatholico

ritu nuptias esse inituros praenoscimus, indubia res est.

Quare Parochum nuptiis hisce, modo tamen non desint aliae conditiones, quae requiruntur, adesse posse argumento a fortiori facillime intueris; quippe praesentia haec minus quidpiam plane sit ea, qua connubia apud nos iungi mos est benedictione. Haec tamen de concesso suapte natura spectato, constitui velim. In praxi enim, tum ob scandalum quod ex ea re immineret, tum quod vix unquam forte contingat ut querimoniae, vel odia sint metuenda, si de catholico ritu adhibendo sponsis abnuas iis qui coram heterodoxo ministro, nuptias inituros se fateantur (in hoc enim casu renutus haud rationi dissonus apparebit), in praxi, inquam, huiuscemodi nuptiis ritum catholicum adhiberi, non raro nefas esse putarim.

Quid tandem de connubio, quod coram ministro acatholico initum, catholico ritu honestari exoptetur? Catholicae partis, si vere eam facti poeniteat, *praevia absolutione a censuris, impositaque salutari poenitentia,* votis annuere ita licebit ut benedictionem connubio impertiamur, exclusa tamen Missae celebratione. Sic praelaudatum responsum ad Vicarium Maisurensem. Si vero eam nequaquam poeniteat, ita quidem, ut ritu catholico suum honestari connubium appetat, puta, ne hac in re acatholicae parti cedere videatur, vel eam in mediis haereticis pudeat nostrorum, ut aiunt, intolerantiae, casui sunt ipsissima illa adhibenda quae de iis, qui ritu haud orthodoxo

nuptias inituros se profitentur, modo constituebamus.

Quae cum ita sint, Ariminium, quoad postremum hoc, bifariam errasse plane verisimilius apparet. Primum, ut casus subaudire videtur, impertiendae benedictionis facultate haudquaquam ab Episcopo postulata, rem omnem a se ipso perfecit. Quamvis enim, ut laudata saepe responsio statuit, « quandocumque ob notabilem locorum distantiam, praesules per se causarum et circumstantiarum gravitatem et veritatem cognoscere nequeant circa mista matrimonia sacerdotali benedictione honestanda, poterunt per Missionarios sibi subditos haec eadem implere »; attamen nisi potestas haec ab Episcopo, vel expresse, vel tacite facta fuerit Ariminio, perperam is misto connubio bene precari non renuit. Quod si huiuscemodi potestate Ariminius nequaquam caruerit, debuisset privatim et serio catholicam alloqui partem, ut eam ad facti poenitentiam efficaciter prorsus induceret, non autem vaga sponsum utrumque ratione, frustra fortasse, vel etiam adstantibus plurimis rem irridentibus, admonere.

Ad XI. Iamdudum multi putarant, ubivis tolerari fas esse, ut mista connubia publicarentur, etsi ultra immunitatis confinia, nec non silentio pressa sponsi acatholici religione. Novissime vero, pluries citata ad Vicarium apostolicum Maisurensem declaratione statutum est: « improbandam minime esse Missionariorum praxim, qua ad detegendam haereticorum fraudem, qui relicta propria uxore, cum catholica muliere copulari praesu-

merent, inter alias investigationes, banna illorum publicantur, nulla tamen facta mentione religionis illorum, qui nuptias sint contracturi. » Extra immunitatis limites, publicanda esse connubia ista, nequaquam indicitur praelaudato responso, nec id amplius necessarium putarim, postquam connubia ipsa in Ecclesia iungi, iisdemque bene precari licet.

Impedimentorum dispensationem invalide prorsus fieri a Valentio dicendum est, si commune ius spectes. Id patet ex epistola encyclica Benedicti XIV ad Poloniae Episcopos anno 1748 data, qua constituitur, ut si quando pro mistis ineundis connubiis derogationem impedimentis aliis fieri petatur, hoc reticito quod haeresim sectetur pars altera, Officialis sit, rem sedulo inquirere, et litterarum executione suspensa, Pontifici Summo aperire; quae sane constare dicuntur ibidem, tum ex Alexandri VII c. *Si quando de rescriptis;* tum ex eo quod *precibus* verba inscribantur *per oratores orthodoxae fidei cultores, et Sanctae Romanae Ecclesiae obedientes;* tum denique ex apposita conditione *dummodo oratores orthodoxae fidei cultores existant et sub obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae.* Cohaerenter ad haec, ibidem narratur Innocentium X dispensationes huiusmodi fieri vetuisse, nisi constiterit prius documentis authenticis de haeresi abiurata. Quibus omnibus apprime consonant quae anno 1767 S. Congregatio docuit Carmelitas missionem in ora Malabarica excolentes: « Cavebunt Missionarii, ne talibus sponsis, quorum nempe alter catholicus, alter

haereticus sit, aliquam dispensationem concedant, quocumque impedimento dirimente, non obstante quavis facultate, qua polleant super illo dispensandi; haec enim non potest exerceri, nisi pro matrimoniis, quae contrahuntur inter ambas partes catholicas. » Hoc ipsum Clemens XIII eosdem biennio ante docuerat. Quamobrem nisi impedimenta quoque quae mistis connubiis, etiam haereticos inter et acatholicos obsunt, expressa prorsus ratione commemorentur in potestate largienda dispensationes faciendi, vel saltem facultas concedatur dispensandi super impedimentis, non solum singillatim spectatis, sed etiam *cumulatis*, i. e. pluribus simul diversi generis concurrentibus, potestas haec ad ea protendi censenda minime est. Utraque ratione novissime facta fuit Vicario apostolico Madurensi dispensandi potestas.

Cautiones praebendi modum quod attinet, Episcopo Coccinensi instructionem transmiserat iam ab anno 1759 Sacra Congregatio S. O. qua, inter alia, haec indicta fuere: « Exigat et a contrahente haeretico, vel schismatico declarationem ab ipso et testibus subscriptam, in qua se etiam iuramento obstringat, ad permittendum alteri coniugi liberum exercitium catholicae religionis, et libertatem educandi in eadem religione omnem prolem nascituram, vel femineam vel masculinam, ad cuius obligationis observationem possit pars catholica proprio coram iudice alteram convenire. Pars etiam catholica declarationem faciat, ab ipsa et testibus subscriptam, in qua iuramento se obliget, non solum ad nunquam deserendam suam religionem,

et ad educandam in ea omnem prolem nasci turam, sed etiam ad procurandam efficaciter conversionem alterius contrahentis. Parochus harum declarationum exemplar authenticum transmittere teneatur ad Episcopum, vel alium superiorem.» Tum Pius VI a. 1782 (epistola ad Cardinalem Episcopum Mechliniensem) iussit haereticum sponsum scripto et iureiurando coram testibus rite spondere, se nullatenus obfuturum, quin catholicus sponsus religionem suam libere profiteatur, ac in ea proles omnis instituatur; catholicum vero pariter polliceri se religionem suam professurum, et in ea prolem omnem instituturum, ac insuper curaturum ut acatholica pars veritatem catholicam amplectatur. Quae cum ita sint, tametsi hisce casus spectentur particulares, et in epistola Pii IX, per Cardinalem Antonellium ad Ordinarios, de cautionibus scripto exarandis ne verbum quidem habeatur, ac insuper in regionibus hisce scripto firmatae cautiones maiori non polleant vi quam ore tantum prolatae, Vicariorum tamen esse putarim, Missionariis praecipere, ut quoad eius fieri possit, cautiones scripto recipiant.

In eo autem quod cautiones quandoque minime exegerit Valentius valde est improbandus. Quamvis enim eas civile ius in regionibus hisce ratas non habeat, plurima tamen haud raro spes est fore ut catholica pars, imo plerumque etiam heterodoxa, earumdem causa, maxime si iureiurando firmatae fuerint, ab officio in huiuscemodi re deserendo, non parum deterreantur. Equidem Pius VIII Brevi suo ad Archiepiscopum Coloniensem et Epi-

scopos Trevirensem, Paderbornensem, et Monasteriensem de matrimoniis mistis in ditionibus regni Borussiae, testatur in locis nonnullis toleratum esse ut Parochi qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda, praesentiam suam praestare cogebantur connubiis eorum, qui cautiones praebere renuerant, paterentur connubia ipsa praesentibus ipsis confici. At Summus Pontifex provincias tantum Rhenanas decreto suo respiciebat, et publicam rei catholicae aliter impendentem, ob gubernii Borussici insectationes, perniciem arcere intendebat. Insuper Sacerdotis cuiusvis arbitrio nulla ratione dimisit ferendam sententiam de rerum, locorum, et personarum adiunctis, quae tolerantiam illam requirere videbantur. Quare ex duplici capite in huiusmodi re Valentius errasse dicendus est.

Postremum tandem quod spectat, equidem Sanctus Alphonsus cum aliis probabile esse docet, dispensatione opus non esse, si pars haeretica serio spondeat, fore ut Christi fidem brevi amplectatur; imo putat Hurtadus, ad id satis esse conversionis spem ex indole eius allatam. At praeterquamquod haec omnia magis profecto sunt eo quod casus refert, *si pars haeretica fidem posthac amplecti se velle dicat*, ex illa Sancti Doctoris sententia perperam infert Valentius, cautiones in hisce rerum adiunctis connubio praemitti haudquaquam necesse esse. Proximum enim periculum perversionis abesse prorsus certiores reddamur, quoad eius fieri possit, necesse est. Porro cautionibus haud praemissis, eius rei certitudo plurima

quam de facili adipisci potuisset Valentius noster, plane desit oportet.

Ad XII. Clemens XIII anno 1765 decrevit, « quoad matrimonia quae in provincia Malabarica contrahuntur inter unam partem catholicam, et aliam haereticam, praesertim vero quando contrahentes inserviunt Societati Hollandiae, extendendam esse declarationem latam a s. m. Benedicto die 4 Novembris 1741 pro matrimoniis, quae in Hollandia contrahuntur, et extensionem comprehendere debere personas catholicas existentes in ambitu Missionis Patrum Carmelitarum Excalceatorum. »

Coromandelicam oram quod attinet, a. 1831: « Ad humillimas preces Reverendi Patris Domini Aloisii Herbert Episcopi Halicarnassensis, ac superioris Missionum in ora Coromandelica, Gregorius XVI..... facultatem benigne concessit, ut extendere possit in locis suae spirituali iurisdictioni subiectis, declarationem s. m. Benedicti PP. XIV editam, quoad clandestina connubia contracta inter unam partem catholicam et alteram haereticam. » Ex quibus sane sponte oritur quaestio, quonam usque protenderetur tunc temporis Episcopi Halicarnassensis potestas spiritualis? Erat is Missionis Pudiceriensis Praesul. Porro ab an. 1788 quae Missionis huiusce Praesulibus Roma dabantur institutionis vel facultatum litterae, eosdem Superiores dicebant Missionum, quas antehac incoluerant Patres Societatis Iesu. Quae sane Missiones recepta iamdudum loquendi forma, designabantur nominibus Missionum Carnatensis, Ma-

durensis, et Maisourensis. Dubitatio tamen ex eo quandoque orta est, quod cum a. 1794 litterae Roma ad Pudicerianae Missionis Praesides missae fuissent, quibus Praesulibus ipsis vetabatur, ne de illorum Christifidelium cura se immiscerent, quibus Episcopus Meliaporensis vel Coccinensis Sacerdotes praeficerent, ab eo tempore in Missionibus hisce Goae Presbyteri Christi gregibus huc et illuc ita praefici consueverant, ut iurisdictionem eisdem non Pudiceriensis Missionis Praesul, sed Episcoporum illorum alteruter impertiretur. Quos tamen postulasse unquam ut S. Sedes eis indulgeret quod Hollandiae iampridem indultum fuerat, nescitur.

Obiectio haec disiici plane videtur ex eo quod Sacerdotes praefati ideo sacra dare fidelibus sinerentur, quod vinea Domini aliis tunc temporis operariis careret, atque potestas facta Meliaporensi et Coccinensi Praesulibus Sacerdotes praeficiendi fidelibus, qui hasce regiones incolebant, nullatenus subaudire videretur, loca quae eis colenda tradebantur, eo ipso Pudiceriani Praesulis iurisdictioni subducta fuisse. Re sane vera: Pudicerianae Missionis Praesules, litteris Roma missis, Missionum Carnatensis, Madurensis, et Maisourensis, vel saltem, quod idem prorsus sonare videtur, Missionis Coromandelicae Superiores, perpetuo vocabantur. Porro nulla plane ratione confici potest, locum quodpiam, cui vel semel Sacerdotem alteruter ex Episcopis illis praefecisset, ita acquisitum huic eidem Sacerdoti fuisse, ut amoto, aut vita functo Presbytero illo, nec tamen alio eidem ab illo eodem Episcopo suffecto, Pudicerianus Prae-

sul, Missionarium quempiam ditionis suae subditum, locum illum incolenti christianae plebi praeponere haudquaquam potuerit. Quamobrem Presbyteri illi ab Episcopo Meliaporensi, aut Coccinensi iurisdictionem derivare permissi sunt quidem pro bono pacis servandae, non vero quod Christifideles, vel saltem loca quibus praefecti erant, Pudicerianis Praesulibus haudquaquam subiicerentur. Quibus sane omnibus robur afferre videtur illud, quod cum anno 1837 Romae decretum fuisset, ut Madurensis Missio Patribus Societatis Iesu denuo committeretur, litterae illinc datae sunt ad Episcopum Halicarnassensem, quibus is commendatus ob zelum, quo hactenus Madurensi Missioni operam dederat, rogabatur ut eamdem curare nequaquam desineret, quousque Patres Societatis necessitatibus eius praesto esse usquequaque valerent.

Missionem Madrastae, tametsi in ora Coromandelica sitam, nulla praefatarum Missionum complectebatur. Quamobrem Tridentina Synodo ibidem iamdiu promulgata, matrimonia mista catholicos inter et haereticos irrita plane habita sunt, usque ad annum 1849 cum Missioni illi concessum est, quod pridem indultum fuerat Missionibus aliis orae utriusque, Malabaricae nempe atque Coromandelicae.

Alterum quod casu proponitur, Vicarius generalis Sancti Thomae iampridem S. Congregationi elucidandum obtulerat. Cui S. Congregatio S. O. anno 1744 sequenti modo rescripsit: « Matrimonia catholicos inter et haereticos, etiamsi valida sint,

sunt tamen illicita; et ideo non debet ea permittere, nisi ad hoc concurrat causa gravis et publica; et si agatur de causa privata, talis esse debet, ut saltem *reductive* concernat bonum publicum ac religionis. » Quaeris fortasse, quid sibi velint illa *reductive* etc.? Nihil, ut arbitror, praeter hoc, quod bonum eorum, qui connubium sunt inituri, satis non sit, nisi publici boni ratio quaepiam simul concurrat. Haec porro publici boni ratio fere aliquo ex tribus modis occurret. Primo: ut odio et querimoniis praecurratur haereticorum, qui catholicos insimulare consueverunt intolerantiae, et animi angustiae, quoad eos qui catholicam fidem haud profitentur. Deinde: pravum averti debet exemplum, sive id actu iam praebeatur amoribus, aut etiam concubinatu, sive praebendum in posterum metuatur ob connubium, puta, posthabita Ecclesiae auctoritate, coram heterodoxis ministellis fortasse ineundum; vel etiam ob catholicam partem dispensationis renutu vehementer indignabundam, et ad hostium castra forte transfugituram. Postremo: ad bonum publicum revocari dicenda plane fuerit impedimento facta derogatio, ob speratum, connubii ope, vel christianae plebis praesidium, vel nostris et exteris singulare quodpiam conversionis exemplum.

Ad XIII. Si tempus exiguum, aliquot puta menses, vel etiam annus tantum defuerit, ut puellae, de quibus est casus, pubertatis legalis aetatem attingerent, sponsos in bona relinquere fide praestasset. Nam praeterquamquod verisimilius appareat, ut infra dicturi sumus, huiuscemodi

puellarum malitiam, in regionibus hisce saepe admodum earumdem aetati supplere, plane nescio quo tandem pacto metuendum non videretur periculum, ne parentibus, quod sane contigit, Missionarii praecepto obsequi renuentibus, ibi formaliter peccari inciperet, ubi prius nonnisi materialiter delinquebatur. At enim: in bona fide nequaquam versati esse videntur, quippe qui Missionarium deceperint. Etiamsi res ita se habuerit fortasse quoad parentes, at sponsos saltem ob peculiaria sponsorum in Indiis adiuncta, sat bona gavisos fuisse fide, vix erat cur dubitaretur. Maluissem itaque silentio rem premere ut eorum saluti tutius prospicerem, quam ita quidquam praecipere ut eius causa, proles quidem luxuriae, parentes vero inobedientiae, pagus denique totus pravi exempli periculo obiicerentur.

Quid ergo si plus anno defuerit? Brisei commendarem agendi rationem, tum quia vix fieri potuisset ut ante duodennium expletum fraus minime palam fieret, tum quia vix aliter potuisset praecurri scandalo ex ea re orituro. Quod sane vero consonum adeo puto, ut Briseus sese recte gessisse putarim, etiamsi puellis quibusdam a pubertate legali procul admodum existentibus, aliae prope fuissent. Eo enim ipso, quo pravum illarum causa formidari debuisset exemplum, metuendum quoque fuisset, ne Briseus, si dum in aliquorum connubium animadverteret aliarum nuptiis indulgere visus fuisset, ceu partium studiosus et fautor traduceretur.

Illud tamen haud praeteream, sin minus quoad

rem ipsam, at certe quoad agendi modum, Briseo merito succenseri. Cum enim parentes singuli privatim doceri atque moneri facilius plane quam publice iussis adigi potuissent, ita nonnisi ad scandalum avertendum, christianae plebi ob pertinaciam parentum aliter oriturum, rem palam fieri et legem statui debuisset.

Ad XIV. Missionarios alios alia se gerere vidi ratione, ut de puellarum, vel etiam, tametsi rarius, de adolescentium, quos matrimonio iungi postulabatur, aetate notitiam adipiscerentur. Alios vidi de hac re parentum et cognatorum testimonio libenter fidere; alios vero vix unquam eidem concedere. Quorum tamen trinàm esse iamdudum animadverteram agendi rationem. Alii enim dubitatione et anxietate agitati, iram decoquere videbantur, lamentando, nec non increpando eam qua Indi feruntur mentiendi libidinem. Alios vero puellas intueri spectabam, et attente perpendere, num ex vultus lineamentis, oris ductu, manuum, pedum et laterum magnitudine, nec non ex certo cervicum crassitamento, veritati, quoad eius fieri posset, propiorem facerent de pubertate coniectationem. Alii tandem nedum dextere, verum etiam captiose quoque parentibus et cognatis excussis, in rem inquirere conabantur. Parentibus et cognatis indubie fidere, commoda sane res est, sed prudentiae legibus non semper accommodata. Anxietate turbari, inane penitus et imbecillum. Spectare defixe et intueri, valde indecorum, nec satis ad rem conducibile. Postremum dumtaxat, modo exsuperantia non peccet, rationi consonum esse

putarim. Ceterum in huiusmodi re te monitum velim, puellas quae cibo parco, vel arduo labore, vel etiam utroque simul (quod sane non raro accidit) uti solent, eas plane esse de quarum aetate plerumque ancipites animo sumus; quia tametsi duodennium fortassis expleverint, saepe tamen exiles adeo sunt atque statura pusillae, ut vix credideris eas a connubio, ob aetatem, non impediri.

Ad XV. Casum hunc ut probe solvamus, trinam delibemus quaestionem necesse est. Prima quidem aetatem respicit, qua in regionibus hisce mares et feminas naturalem attingere pubertatem coniici liceat. Altera tempus attinet, quo malitia pubertatis legalis aetati supplere verisimilius appareat. Postrema ius spectat sententiam de malitia satis aetati supplente ferendi. Primum quod attinet, veri nominis pubertatem a nubilitate non parum discriminari, nota res est. Ad illam, delectabiliter coeundi potentia plane sufficit. Haec vero praeterea vim proximam generandi requirit. Nubilitatis in mare primum vel advenientis, aut abeuntis signa certa nulla penitus sunt, quae exterius se pandant. Medicae artis periti, eamdem certo primum adesse vix aliter inferunt, quam ex animalculis *zoospermates* nuncupatis, in spermate ipso natantibus. Feminarum nubilitatem, praeter cruoris menstruam effusionem, signa nulla certo revelant, si praegnatum excipias. Unum quod medicae artis cultores in universum constituunt, est nubilitatis adventum citius vel serius contingere pro varia ratione qua personarum atque locorum adiuncta se habent. Eiusmodi sunt caeli

temperies quae a locorum *latitudine* varia pendet, corporis habitudo, victus denique, et huiusmodi alia. Quae sane, quo magis virium corporearum explicationem et incrementum citarint, eo potius nubiles annos puellis maturant, et viceversa. Speciatim vero qua lege citius seriusve pro varia caeli temperie nubiles annos attingant puellae, certiori qua possent ratione invenire non ita pridem conati medicae artis periti, scalae instar gradus notarant plures, quorum perinde ac omnium supremo Laponia, infimo vero Turonibus constitutis, eo citius menstruo fluxu, prima vice mulieres laborare, quo minor fuerit regionum illarum quas incolunt *latitudo*, indubia prorsus ratione detegere visi sunt. Ita quidem, ut cum in Laponia sexagesimo quinto *latitudinis* limine sita, et quarto, mediam, ut aiunt, caeli temperiem quod spectat, gradu notata, aequa mulierum quae fluxu laborant distributione, aetatis decimo octavo circiter anno, puellae primum muliebria patiantur. Turonii vero, quod quadragesimo tertio *latitudinis* gradu constat, et aequa temperiei proportione, decimo quinto caloris gradu potitur, muliebria sub decimo quarto aetatis anno, primo egeri deprehensum est.

Quae sane cum ita sint, in hisce torridae zonae regionibus, aetatis duodecimo saltem anno, aequa omnium puellarum distributione, fluxum pati prima vice, seu quod idem est, nubiles annos attingere feminas, inferre plane licuerit. Atqui Ecclesia non annos certe nubiles, sed pubertatem, quae sane, ut supra dixi, nubilitati praegreditur, ad

connubiorum validitatem requirit. Cum ergo pubertas aequa hominum omnium in orbe toto proportione spectata, duodecimo feminarum, decimoquarto marium aetatis anno, primum adesse merito censeatur; ratione plane consonum dixerim, ut quemadmodum in polari cacumine mares 16 vel 17, feminas vero 14 vel 15 aetatis anno, aequa omnium proportione composita, naturaliter puberes plane fieri iure arbitramur, ita in regionibus hisce, nono aut decimo feminarum, undecimo vel duodecimo puerorum aetatis anno, pubertatem naturalem primo affuturam putemus.

Ex quibus sane sponte consequitur quaestionis alterius diremptio. Naturalis scilicet pubertas, quae, in universum loquendo, consonam sibi malitiam comitem habet, vix unquam grandiusculis maribus et puellis in regionibus hisce defutura videtur. Quod sane mihi probatur, tum ex ea quam in Indis miramur praematuritate; tum ex eorum ingenio, praesertim quoad ea quae connubium spectant, plane praecoci; tum ex iis, quibus praemature puerulos atque puellulas non raro operam dare inter eorum confessiones audiendas pernosse licet; tum ex ea qua feminae pariter et masculi incedere solent, domi praecipue, nuditate; tum ex turpi foedaque re quavis, qua invicem loquitari vel conviciari, saepissime et apertissime consuevit indica gens; tum denique ex sensu quodam, fere dixerim omnium communi, quo Indis persuasum esse videtur, octavo puellas, mares vero decimo vel duodecimo aetatis anno, ineundis connubiis ineptos haudquaquam esse.

Obiectum hisce omnibus disiiciamus oportet ex eo desumptum, quod Doctores in universum tradere visi sunt; aetatem nimirum malitia pensari, cum impubes tametsi nondum pubertatis legalis aetatem attigerit, tamen non solum ad consensus nuptialis vim plane agnoscendam, sed ad gignendum quoque aptus evaserit. Qua sane gignendi potentia marem quidem instructum censeri aiunt, si is copulam iam habuerit, vel semen effundere potis existat; feminam vero si conceperit, vel fluxum menstruum passa sit. Imo, conceptionem si excipias, signum nullum sufficere docent, nisi sponsorum aetas pubertati lege praescriptae propior existat; eamque propinquitatem in eo esse, quod tres tantum dies, ut alii opinantur, sex menses, ut alii sentiunt, annus, ut alii volunt, plus minusve pro rerum, locorum et personarum adiunctis, sapienti iudicio pendendis, ut alii docent, pubertati legali defuerint.

Quae sane omnia si, quoad regiones inter *zonae torridae* limites sitas, non minus quam quoad inter tropicales terrae plagas valerent, vix unquam in regionibus hisce, puerorum christianorum aetatem malitia pensari censendum esset. Etenim de Christifidelium numero cum ethnicis comparato, probe repeti potest illud *apparent rari nantes in gurgite vasto,* ac praeterea saepe saepius cibo parciori vel etiam quandoque maiori labore utuntur puellae, quam par esset, ut earum pubertas ante duodennium perfecta, fluxu menstruo prodatur. Mares autem quod attinet, quartodecimo aetatis anno nondum expleto, eorum quempiam

cum femina coivisse, vel sperma fundere potis esse, plerumque nosse quis poterit? Obiectum itaque sic dispellam. Aetati malitiam supplere docet Busembaum ex Laym. « Si adsit, et doli capacitas, et potentia ad copulam, de quibus iudicare prudentium est. » Et Alex. III. cap. *De illis* 9 sic loquitur: « Si ita fuerint aetati proximi, quod potuerint copula carnali coniungi, minoris aetatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consensisse, cum in eis aetatem supplevisse malitia videtur. » Atqui coeundi potentia suapte natura nec gignendi facultatem subaudit, nec veri nominis sperma fundendi vim necessario comitem habet. Pueri enim in quibus semen necdum perfecta ratione se habet, carnali delectatione coitum inire non raro valent. Puellae vero, tametsi fluxu menstruo nondum laborarint, coeundi tamen vi saepe admodum non carere certa res est. Quae itaque Doctores septentrionales terrae plagas praecipue spectantes, hac de re tradidere, iis quae de igneis hisce regionibus constitui rationi consonum arbitramur, detrimento haud esse posse videntur. Quod sane vel firmari dixerim more apud Indos vigente, ut sponsi qui tenera aetate connubio iunguntur, mox ut nuptias inierint, mutuo separentur nec individuam ducere vitam sinantur, antequam puellae nubiles anni, fluxu menstruo, perfecta ratione prodantur. Quorsum enim tanta eos invicem seiungendi sollicitudo, si diu ante nubilitatem coeundi vi carere, prorsus pueri et puellae creduntur? Nimirum aliter putat Indica gens,

atque ne coitus aetatula illa noxius sit sponsis, eos invicem separare festinat.

Postremam quaestionem quod attinet, rationis usum, qui satis fuerit ad nuptialis consensus vim probe noscendam, a coeundi potentia distinguas oportet. Ut enim prius illud sine postremo hoc esse quandoque contingit, ita Pontifex Summus dumtaxat in huiuscemodi casu dispensationem facere potest, ut impubes matrimonium inire valeat. Aetas enim, duodenni vel quartodecimo anno minor, impedimentum est, non naturae sed canonum iure statutum. Quod si lege praescriptam aetatem malitia, coeundi nimirum potentia antevertat, aetas impedimentum afferre non valet. Dices: extra conscientiae forum, et in casibus singulis id rei, nonnisi menstrui, vel conceptionis ope in feminis certo constare videtur; a maribus vero adolescentibus copulam habitam fuisse, vel sperma fundi posse, quis scirc valeat? Nonnisi dubium idcirco, idest coniectandi causam, in universum casus singuli in regionibus hisce afferre videntur. Id vero in praxi quid quaeso proderit? Resp. Si dubitatio de praecurrente actati malitia adeo rationi consona sit, ut verisimile saltem appareat, coeundi potentiam aetatem antevertisse, de impedimento merito dubitamus. Atqui S. Alphonsus (l. 6. n. 902.) probabilem esse docet sententiam eorum, qui dicunt: « quod in impedimentis (ecclesiastici iuris) dubiis, bene potest Episcopus dispensare. Et idem dicunt communissime Doctores, generice loquendo, de omnibus casibus, sive impedimentis Pontifici reservatis, quando

dubitatur an indigeant dispensatione.» Quod sane postremum propius casum nostrum attingere videtur. Duo tamen hac in re, Episcopi potestatem quod spectat, probe secernas necesse est. Primum est ius impedimento faciendi derogationem, ex eo quod plane verisimile appareat malitiam aetati anteisse. Quo sane iure Episcopos ordinaria iurisdictione gaudentes, nequaquam carere tuto arbitrari licet. Episcopi Vicarii apostolici iure isto potiantur nec ne, dubitari posse videtur ex eo, quod nonnisi delegata potiantur iurisdictione, et quae ministrant, prout Doctores communiter docent (V. *Acta excerpta* etc. t. 1. p. 397.), *iuxta facultates sibi concessas a mittente, ministrant.* Quamobrem nisi litteras, quibus collata est iurisdictio, verba praeseferant in universum prolata, ita ut hanc quoque rem satis attingere videantur (quod tum de facili forte contingit, tum late prorsus interpretari rationi consonum fuerit, ob Sanctae Sedis iure putatam speciatim ad id consensionem, non minus quam ob regulam iuris, quae late favores interpretari debere statuit), Vicarii nequaquam illa potestate gaudere dicendi sunt. Alterum est quod Episcopis inest ius in huiusmodi rem inquirendi, cum res ipsa quae prima fronte dubium praeseferebat, adiunctis omnibus probe perpensis, ita se habeat, ut nulla sit opus impedimenti dispensatione, sed declaratoriam sententiam dumtaxat ferri necesse sit de impedimento non amplius vigente ob malitiam quae aetati certo sit praegressa. Qua de re Benedictus XIV encyclica epistola ad Poloniae Primatem sic lo-

quitur: « Episcopi et Ordinarii locorum iure suo pronuntiare possunt super ea quaestione, quae facti est.... neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate. Canonistae docent cumulativum ius esse inter Apostolicam Sedem et iudices ordinarios, cognoscendi et pronuntiandi de hac re: an scilicet malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis ius esse, concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim, et naturam intelligat. »

Operosae casus huiusce resolutioni coronides sint nonnulla, quibus, ut arbitror, duci possumus ad sententiam de malitia, sin minus certe, saltem verisimiliter aetatem supplente, ferendam. Primum omnium occurrit peccatorum confessio, ope cuius de re iudicium elici, nedum coniectura divinari quandoque licebit. Quod si id pro voto non cedat, quid verisimilius revera fuerit, dextere, nec tamen aperte, vel nimium, sponsis interrogatis, quid verisimilius appareat retegi saepe poterit. Exterius parentia rei signa quod attinet, fere tria perpendi debent. Primum est praecox, quod in eo de cuius malitia anceps animo fueris, appareat ingenium. Alterum vero corporis incrementum, qua pueritiae speciem non amplius praeseferre de facili advertere saepe licet. Postremum denique sunt incessus, oris habitus, species denique omnis, quae adolescentis malitiam, seu quod idem est, sensus connubio congruos, nescio quomodo, subo-

lent, atque gignendi maturitatem vel certe coeundi potentiam praenuntiare videntur. Quae sane omnia eam, quae generatim in regionibus hisce rei non deest probabilitatem, in individuo speciatim statuere et firmare videntur; eoque magis quo propior est sponsus, de quo dubitatur, ei quae lege praecepta est pubertati. Atque haec quidem si valeant quoad connubia ineunda, quanto magis quoad inita valere censenda fuerint?

Ad XVI. Casus istius resolutio quomodo habere se debeat, satis patere videtur ex iis, quae in antecedentem huc usque disputata sunt.

Ad XVII. Iure naturae validum est matrimonium, licet contrahentes nondum sint proxime habiles ad coeundum. Quamobrem nihil est, cur invalidum censeatur connubium, si coniugalis consensus vim quidem sponsus uterque probe intellexerit, sed carnaliter alter cum altero commisceri non possit, nedum gignendi maturitatem attigerit. Quibus sane consonant quae Benedictus XIV loco nuper citato docet. Quae cum ita sint, quotiescumque dubia res est, num rationis usum satis adeptus esset an non sponsus uterque, eo quo connubium inierat tempore, nisi subsecuto consensu, connubium certo firmatum esse constarit, matrimonium valide initum primo fuisse, non est cur arbitremur. Quaeres: consensus, rationis usu adveniente, adhibitus nec ne fuerit, quonam modo noverimus? Resp. Sponsorum neutrum a nuptiis resiliisse profecto satis non est, ut rationis usu semel adepto, consensus in nuptias ab utroque rite praestitus esse dicatur. In

praxi vix alia ratione consensus denuo praeberi videtur, quam cum puella fluxu menstruo proditam gignendi maturitatem adepta, recepto gentis more, sponso consummandae iunctionis gratia tradatur. Quamobrem connubium quod invalide initio, ob deficientem rationis usum, initum fuerat, nisi particularia personarum adiuncta, puta carnalis commistio, promissum expresse iteratum, et coniugalis, seu potius carnalis amoris exhibita signa alia, matrimonium reapse firmatum antea fuisse plane demonstrent, nonnisi eo demum tempore instaurari putarim, quo puella ad sponsum remittitur.

Ligamen.

Ad XVIII. Antequam ad casus resolutionem deveniam, operae pretium fuerit *instructionem* a Suprema Sacra Congregatione editam *ad probandum obitum coniugis,* attulisse. Ea sic se habet:

« Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari, et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est.

» Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

» Inde constituta sacrorum Canonum, quibus,

ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti cap. *In praesentia De sponsalibus et matrimoniis*. Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias* 21 Augusti 1870 a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12 et 13.

» Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informa-

tiones atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

» Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

» 1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam,* ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit,* idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

» 2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis Paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

» 3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

» 4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis, gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

» 5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide

digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, vel saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

» 6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiore, vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi et haberi possint.

» 7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo

modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur ex. gr.

» An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

» An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

» An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

» Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

» *Si ob militiam abierit,* a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit etc.

» *Si negotiationis causa iter susceperit,* inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae etc.

» *Si maritimum iter fuerit aggressus,* sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius

solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

» 8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis, et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori, et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

» 9. Tandem si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

» 10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum, et iuris prudentum suffragiis, denique suum iudicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

» 11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta, et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis. »

Hisce praehabitis, duo ad casus resolutionem

disputanda se offerunt. Primum quandonam ad Episcopum recurratur necesse sit, ob mortem prioris coniugis haud certissime notam? Alterum: utrum si per epistolas ad Presbyteros aliosve incolas loci illius, ubi coniux vita functus praefertur, rei veritatem assequi non valeamus, Indorum testimonio, hac in re, fidere tuto possimus? Primum quod attinet, ad Episcopum rem deferri oportere in universum Doctores aiunt, quoties de prioris coniugis morte dubium subesse merito videatur. Quod sane sponte sua parit quaestionem aliam: quandonam certitudo moralis de prioris coniugis morte nequaquam deesse censenda sit? Ex Pii VI declaratione anno 1780 data, veri nominis certitudo moralis, suapte natura, testes de visu nequaquam requirit. Testes igitur auriculares satis ad id esse poterunt. Eorum vero trinam in praxi rationem esse contingit. Primum sane locum occupant Missionarii regionis illius, ubi coniugem vita functum fuisse dicitur; eorumque testimonium omni exceptione maius censendum est, nisi evidens quidpiam obiici videatur. Sequitur testimonium Indorum, qui ab ocularibus testibus rem accepere. Quorum sane, tametsi plures tales sint, quibus fidere tuto possimus, plurimi tamen veritatis dicendae studio ducantur merito necne dubitamus. Quamobrem saepe saepius duo tantum praesto esse videntur, quibus fallaciae periculum, quoad eius fieri possit, certa ratione amotum iri confidas. Primum est, ut ii a quibus auriti huiusmodi testes rem accepisse se asserunt, qui, quot, et ubinam sint, nec non quandonam, et in quonam

loco rem tradiderint, sedulo perpendamus. Nec illud praetermiserimus, ut cum testes huiusmodi plures fuerint, Danielis sapientiam imitari conati, uno fere tempore, sed non una simul omnes, excutiamus. Alterum vero est, ut iureiurando non contestatorio sed execratorio (quod sane Indi non raro vehementer formidant), et quo licuerit maiori metum incutiente apparatu, testimonium dicturos a mentiendo deterreamus. Praeterea monitum quoque te velim, in huiusmodi re Indis non raro eo minus fidendum esse, quo rem certius se nosse testantur; ita quidem ut in universum, qui coniugem obiisse verisimilius dumtaxat videri testantur, ii forte sint quibus fidem facilius adhibeamus, quam aliis, qui ut de re plane certos sese demonstrent, non solum coniugis vita functi cadaver vel scrobem vidisse se narrant, sed minuta plura rei totius adiuncta contexere gestiunt. Mendax enim testis, praesertim si rudis fuerit, quo mentiri firmius in animo habet, eo audentius rei singula se novisse contendit. Tandem illorum testimonium occurrit, qui huc et illuc vagati de coniugis obitu rumorem esse testantur. Quos sane testes tametsi mentiri plerumque vix sit metuendum, rei tamen, ut infra dicam, parum admodum saepe prodesse perspicis. At vero: de Indis qui oculares testes dicuntur, quid tandem constituamus? Vix aliud, ut arbitror, praeter ea quae de altera testis auriti specie nuper edicebamus.

Quaestionem aliam quod attinet, quomodo nempe gerere sese debeat Missionarius, cum Indi praebentur testes auriti vel oculares, et ob eam

mentiendi libidinem qua ferri eos in universum nota res est, eorumdem depositioni fidem praebere formidat; nisi peculiaria casus singuli indicia praeseferant, quibus prohibeamur, quin testibus fidem adhibeamus, cognita generatim Indorum ad mentiendum proclivitas, tametsi id plane requirere videatur ut cautiores simus, ac mediis efficacioribus ad veritatem in huiuscemodi re detegendam utamur, attamen suapte natura satis minime est ut merito angamur, vel de connubio ineundo petentibus abnuamus. Etenim, inter Indos vitam ducere, nedum eisdem sacra praebere, liceret, si ob eam, quam praeseferre videntur mentiendi libidinem, ne in rebus magni momenti quidem, fidere illis unquam fas esset. Equidem novi S. Franciscum Xaverium de Indis asserere non dubitasse, fidere eis debere neminem, praeter eum, qui decipi cupiat. Haec tamen, utcumque Indos omnes in universum spectare dicamus, at singulos plane respicere quis effutiet? Quamobrem quae Sacra Congregatio P. F. an. 1792 Missionarios provinciae Tunckini occidentalis docuerat: « De morte prioris coniugis priusquam novae nuptiae permittantur... vel testem...... omni exceptione maiorem adesse oportet, qui vidisse se mortuum coniugem, sacramenti religione confirmet, aut tales coniecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita plane esse, morali quadam certitudine persuadeant; » haec, inquam, Indos quod attinet, sic intellexerim, ut testis Indus *omni exceptione maior* haberi is possit, qui cum ea, quam eiusdem adiuncta requirere videbantur ratione,

testatus fuerit, ita se prodidit, ut indicia nulla peculiaria apparuerint, quibus mentiri eum hic et nunc verisimile videatur.

Ad XIX. Quousque priorem maritum in vivis agere haudquaquam certo constarit, sed verisimile tantum appareat, Venantia posteriorem maritum deserere nec tenetur, nec potest. Re sane vera: si bona fide posterius connubium initum fuerit, superveniente dubio, possessione haud exturbatur. Si vero dubia fuerit in contrahendo Venantiae fides, valet quod Sanch. Bonac. et alii comm. apud S. A. l. 6. p. 906. asserunt: « etiam contracto matrimonio cum dubia fide, posse dubitantem petere, si matrimonium reputetur probabiliter validum, etiamsi probabilius sit esse nullum. » Cuius sane rei ratio in eo est, quod ex iuris effato in favorabili re, cuiusmodi est singulari prorsus ratione connubium, si dubium indissolubile subsit, standum sit semper pro actus valore.

Ad XX. Nulla, ut casus subaudit, ne litteris quidem datis ad Taprobanae insulae Missionarios, clariora interitus haberi possunt indicia. Missionis itaque Praesul (nec enim Missionariorum quivis de huiusce generis casu sententiam dicere audebit), perpendat necesse est, num ea sint rerum, locorum, et personarum adiuncta, ex quibus inverisimile prorsus appareat, Basilium in vivis agere, et tamen nihil de eo, tanto temporis lapsu rescitum fuisse. Quod sane eo certiori ratione constitui licebit quo commercium et consuetudo frequentiora locum unum intercedant et alium. Quod si omnibus rite perpensis, dubium revera adhuc subesse

pateat quoad prioris coniugis mortem, de novis abnuere nuptiis petenti, tenetur Missionis Praesul. Ceterum quo facilius et tutius in tanti momenti re procedamus, anno 1670 S.Congregatio, Clemente X probante, instructionem edidit qua sic docemur: « Primum: authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet, ubi haberi possit.

» Si testis responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos; interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat, fuisse coniuges, et esse mortuos.

» Si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore hospitalis, vel a Rectore Ecclesiae, in qua humata fuerunt cadavera, vel... a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles.

» Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes quae de iure communi possunt admitti... Harum praecipua exurgit ex dictis testium fide dignorum, de quibus testibus sic praecipitur.

» Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei... cives magis quam exteri, nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio. Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune praescribitur, ut una cum persona testis alius ap-

pareat cognitus, qui attestetur de nomine et cognomine ipsius, nec non de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.

» Verum in tantis quibus saepe huiusmodi mortis probationes premuntur difficultatibus, Sacra Congregatio nullam respuit, quae aliquid ad fidēm faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus, quae seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul iuncta, hanc efficiant. Hinc datur locus praesumptionibus et coniecturis quibus testium dicta confirmarentur; publicae vocis et famae ratio habetur: certa facta authentice probata, quae mortem supponant, expenduntur; etiam contingit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta, tempore non suspecto, ab aliis percepta fuerint: testes autem immediati, vel morte, vel absentia, aut alia de causa audiri nequeant; habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium, qui tamen omnibus pensatis, prudenti mortis secutae iudicio satis esse censeantur. »

Quibus sane tria docemur:

I. Authenticum documentum, si haberi possit, requiri.

II. Testes, quoad eius fieri possit, consanguinei, vel cives esse debere; vel saltem alterius, cui noti fuerint, testimonio probati.

III. Si testibus res confici nequeat, praesumptionibus et coniecturis locum esse, quae ex tribus praesertim oriri possunt. 1. Ex obitus fama; 2. ex facto authentico, quod mortem quemadmodum

aliis attulit, ita coniugi attulisse merito coniiciatur; 3. ex auritis testibus.

Ad XXI. Ex capite *In praesentia* de sponsis, coniux ad alia non potest migrare vota, priusquam certum de coniugis morte nuncium accipiat, quantocumque demum tempore is abfuerit. Cum enim, ex iuris effato, praesumitur quisque sin minus vivere, at certe vivere posse ad 100 annos, tum aegrotos multos ad extremum delapsos, convaluisse nota res est. Famam quod attinet, satis ea suapte natura esse potest ut de prioris coniugis morte certi reddamur. Attamen ad iudicem ecclesiasticum spectat, casibus singulis probe perpensis, sententiam ferre qua constet famam sufficere ut de coniugis morte certitudo habeatur. Si testis unus dumtaxat de fama deponat, difficilius eidem fides praeberi solet. Facilius vero si plures; praesertim cum duo vel tres, puta, de mortis fama, alius vero de aegrotatione audivisse se asserant (Nav. cons. l. 4. de secundis nuptiis cons. 1. et 2.). Quid ergo de auctore cui niti Goanus presbyter visus est? Eum videre non licuit. Aliud tamen, ut arbitror, excogitare non possumus nisi ex arithmeticis notis quibus 100 anni, ad quos vitam ducere homo posse praesumitur, indicantur, orbiculatam alteram, mendosa impressione, praetermissam fuisse.

Ad XXII. Nisi testis, qui sparsum mortis esse rumorem asserit, probitate et prudentia penitus singulari praeditus habeatur, vel aliorum testimonio, praesertim litteris ex regione ubi coniux vitae nuncium misisse dicitur accersitis, dicta eius

roborari contingat, is esse nequit, cui in re tanti momenti plane fidamus. Calamitas vero communis suapte natura satis esse nequit, ut certum quempiam interiisse constare queat. Quamobrem Sacra Congregatio P. F. (l. c.) de huiuscemodi re sic constituit: « Calamitates belli, famis, captivitatis, aliaeque huius generis, quae vastitatem regionis, ac plurimis interitum attulerunt, non tanti ponderis sunt, ut viris aut mulieribus, qui coniuges amiserunt, passim permitti possit novas nuptias appetere. » Reliqua casus, ex eodem Sacrae Congregationis responso sic dissolvere licet. « Qui nova coniugia contraxerunt, et quidem in bona fide... relinquendi sunt in bona fide.... Si eorum alter dubius, aut anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere (quod cohaerenter ad ea quae supra statuimus, ita interpretamur, ut petere non liceat quousque, in rem inquisitione instituta, dubium dissolvi queat necne nondum sciatur). Si demum uterque mala fide contraxerint, iam sunt omnino separandi. »

Ad XXIII. Casu hocce, anno 1864 Sacrae Congregationi S. O. per Vicarium apostolicum Pudiceriensem ample proposito, duo quaerebantur:

« 1. Utrum provisiones legis civilis de absentibus coniugibus, locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter, utrum derelicti coniuges perfectis et completis istis provisionibus, aliud matrimonium legitime contrahere valeant.

» 2. In praesenti saltem casu, cum illae duae personae civili lege nixae aliqua, cum bona fide

se contraxisse contendant, ac prius mulieris matrimonium defectu aetatis fortasse invalidum fuerit, possunt ne ad Sacramenta admitti? »

Quibus, anno 1865, eadem Sacra Congregatio sequentia respondit.

« Ad primum, iuxta expositum, negative et expendendos esse casus particulares ab ipso Vicario apostolico, iuxta instructionem, quae eidem communicetur (sermo est de instructione Clementis X. Vide resp. ad cas. XX.).

» Ad secundum. Quoad defectum aetatis, praevia advertentia, quod admodum difficulter ex hoc capite iuxta exposita probari posset nullitas matrimonii in casu, nihilominus si Vicario apostolico ita videbitur, fiant acta ad probandum: 1. Mulierem primum matrimonium contraxisse ante completum annum aetatis suae duodecimum. 2. Eo tempore malitiam non supplevisse aetatem. 3. Nec post adeptam pubertatem, habuisse copulam cum viro. Quoad praetensam mortem primi viri, fiant acta opportuna iuxta instructionem superius memoratam. »

Ad XXIV. Tridentina Synodus, quoad clandestina connubia promulgata fuerit necne, si nostrum quempiam dubium incessat, praesto fuerint ad rei veritatem retegendam plura Sacrarum Congregationum responsa. Et primo quidem iamdudum, anno scilicet 1669, adprobante Clemente XI, Sacra Congregatio declarationem ediderat, qua constituebatur, promulgatam censeri synodum, si connubia iam antea contrahebantur *coram legitimo Parocho, vel Missionario apostolico, et testibus iuxta*

formam Concilii Tridentini, seu, prout ibidem paulo infra explanatur, praesumitur synodum promulgatam fuisse, « si de tempore vel praesenti, vel praeterito sit memoria, quod matrimonia contrahi solebant coram Parocho, aut Missionario et testibus, tamquam ex praescripto Concilii Tridentini. » Quae sane subaudiunt illud quod S. Congregatio, Urbano VIII probante, ediderat a. 1628, decretum *Tametsi* promulgatum nequaquam censeri, quamvis Episcopus proprio marte nullitatis indicta, secus facientibus, poena, connubia inire iussisset coram Parocho et testibus. Eodem spectant quae Sacra Congregatio, teste Benedicto XIV de Synodo l.12., constituit, decretum nempe Concilii promulgatum praesumi, *ubi fuerit aliquo tempore in Paroecia tamquam decretum Concilii observatum*. Quibus sane cohaerent quae Sacra Congregatio an. 1784 Tunkini orientalis Vicarium apostolicum docuit: « Nisi ipsi (Missionario) constet revera publicatum fuisse illud decretum (Trident. sess. 24. de ref. decr. 1.), vel saltem semper observatum, ac matrimonia absque praesentia Parochi inita, tamquam irrita habita fuisse, tunc pro non publicatione sentiat. » Quae sane a Sacra Congregatione repetita sunt anno 1852 Vicario apostolico Madurensi, de eadem sciscitanti quaestione. Tandem S. Congregatio, probante Pio VI, an. 1794 sequentia edidit: « Publicatio praesumitur, ubi id decretum fuit aliquo tempore in Paroecia, *tamquam decretum Concilii*, observatum. » Quibus omnibus sane praeiactis, achilleum cui prima nitebatur sententia argumentum, sponte veluti

sua corruere dicendum est. Quamvis enim iuxta formam Concilii Tridentini connubia iniri solerent, id tamen *tamquam ex Concilii praescripto* factum fuisse, vel Concilii decretum, *qua tale,* fuisse servatum, vel clandestina connubia ceu invalida existimata fuisse, tantum aberat ut ratione ulla constaret, ut imo eo ipso quo clandestinas nuptias in universum ceu validas extra oram habitas esse nemo ignoraret, matrimonia Sacerdotis praesentia non *tamquam ex Concilii praescripto* honestari consuevisse, nec Concilii decretum *qua tale* servatum esse, plane verisimilius coniici videretur. Geminum alterum quod priorem fulcire dicebatur sententiam, robore omni prorsus carere nemo est qui non videat. Etenim Goani presbyteri schisma sectati, vel ut impedimentis invalide a nobis derogatum fuisse formidare se simularent, vel ut magis magisque in nos odium cierent, vel ut inito coram nobis connubio perinde ac clandestinis, etiamsi validis, nuptiis benedictionem impertiri ostentarent, vel denique, quod forte verius, ob iuris putidam ignorantiam, non vero ob ullam in decreto servando sedulitatem, inita coram nobis connubia instaurare gestiisse, nemo nostrum, opinor, vel minimum dubitarit. Brevis *Multa praeclare* promulgationem quod attinet, ea mente nequaquam receptam ut decreti *Tametsi* promulgationem aequaret, inficiabitur nemo. Quamobrem prima quam casus refert in hacce disputatione sententia, quo niteretur veri nominis fundamento, profecto non satis patere videtur. Et tamen Sacra Congregatio, sententia alia posthabita, primam

illam probare penitus visa est. Visa fuerit aliis quidem, quibus sane nequaquam succenseam; at certe non mihi. Ut enim praeteream aequivoca satis, prout ex dictis patescit, ratione delatum illud fuisse quod connubia *iuxta formam Concilii* iniri consuessent; verba quibus Sacrae Congregationis responsum allatum est, ea prorsus esse videntur, quae sententiae priori fulcro esse dici non possint. Re sane vera: Concilii decretum in regione de qua sermo erat, promulgatum censeri nequibat nisi iampridem servatum fuisset, saltem vigore Constitutionum Clementis XIII et Benedicti XIV. Porro Constit. *Compertum,* quam Benedictus XIV constitutione *Sollicitudo* firmavit, Missionarios non admonet, nisi de servanda forma pro matrimoniis a Sacro Concilio Tridentino praescripta « in locis in quibus decretum dicti Concilii publicatum est » eosque curare iubet ut in omnibus locis Missionum, Concilium promulgetur. Quamobrem gemina hic nobis occurrit quaestio, iuris alia, alia facti, quam dirimere plane oportuerat, ut extra dubii aleam res tota constitueretur. Et tamen Sacra Congregatio, iuris quaestione dirempta, de facti quaestione ne verbum quidem protulisse videtur. Concilii enim decretum in regionibus illis, de quibus est quaestio, vigere, si ibi dudum *qua tale* (quod necessario subaudit) servatum fuerit, ita protulit, ut ibidem decretum revera servatum fuerit nec ne, nulla prorsus ratione docuerit. Quae cum ita sint, Sacrae Congregationis in huiusmodi re declaratio priorem sententiam magis quam alteram suffulcire, quonam

pacto credideris? Nisi huic favere, quam illi maluisse dicatur ex eo, quod cum conditionem commemoret plane ponendam, ut Synodus promulgata habeatur, promulgationem huiusmodi haudquaquam factam fuisse testari videatur eo ipso, quo conditionem vel defuisse prorsus, vel saltem haud satis certo adfuisse, aliunde plane constabat. Quamobrem laudibus cumulandum censuimus Episcopum Drusiparensem, qui cum recepisset S. Congregationis declarationem, ne dubium in posterum, ut Antistes aiebat, de SS. Synodi promulgatione oriretur in Vicariatu suo Pudiceriensi, continuo eam promulgari curavit. Enimvero si S. Congregationis responso iuris pariter atque facti quaestio indubie prorsus dirempta fuerat, cum abs re erat dubium de re postmodum forte oriturum metuere, tum Ecclesiae legem iterato vulgare haud satis rationi consonum videbatur.

Hisce omnibus quaedam addere non pigebit, quibus Concilii decretum promulgatum iampridem fuisse, certo nobis haudquaquam constasse, magis magisque pateat. Equidem Eminentissimus de Tournon anno 1704 quoad adolescentes connubio iungendos decreverat, non esse permittendos ut una cohabitent, donec completa legitima aetate, et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint. At S. Congregatio, probante Summo Pontifice (ut patet ex bulla *Omnium sollicitudo*), hanc decreti partem ita interpretata est, ut nos doceret « in locis in quibus decretum dicti Con-

cilii publicatum esset, et in posterum publicabitur » praescriptam ab eo formam nuptiarum servandam esse. Atqui tunc temporis Tournonense decretum ubique in regionibus hisce iam antea promulgatum fuerat; ergo ea mens fuit S. Congregationi, hinc quidem ut decreti Tournonensis promulgatio nullatenus decreti *Tametsi* promulgationem implicite contineret, inde vero ut peculiaria rationum momenta pro specialibus locis requirerentur, quibus Synodi Tridentini promulgationem revera factam fuisse palam ostenderetur. At enim: Tridentini formam plerumque servatam fuisse novimus. Res ita sit. An non etiamsi decretum nusquam vulgatum fuisset, formam illam servare conati essent Missionarii, saltem ut christiana plebs pedetentim disponeretur ad eius promulgationem? Quid quod in ora maritima multo magis quam extra illam, de forma ipsa nostrorum quivis sollicitus apparebat?

Ad XXV. Cum Episcoporum prudentiae relinquatur 'iudicium de opportunitate promulgationis decreti illius, Madurensis Antistes de eadem facienda, ideo consilium antehac nequaquam inierat, quod ea cum non magni ponderis emolumentum, tum perniciem plane gravem animarum saluti allatura penitus videretur. Emolumentum haud obventurum expectabatur, quod in Missione hac Christifideles qui nostram sectentur iurisdictionem et clandestine nubant, paucissimi sint, iique fere vel perditissimi qui nullitatem connubii parvi facientes, clandestine sociari nequaquam timerent, etiamsi Concilii decretum vulgatum esset, vel re-

ligionis quam maxime ignari et rudis minervae homines, qui vix aut ne vix quidem in aliquo promulgatione decreti proficerent magis quam Missionariorum sollicitudine et zelo, qui eos ne clandestine contrahant, arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia et doctrina. Utrique autem huic hominum generi Tridentinae legis promulgatio parum aut nihil penitus profutura, imo valde obfutura fuisset ex eo, quod male sociatum deserere coniugem, vel instaurare connubium, res eis futura fuisset non raro difficultatibus plena, et impedimento plerumque non levi, ne ad meliorem frugem redirent. At ex alio etiam, et quidem praecipuo capite animarum perniciem formidabamus decreti promulgatione. Cum enim tot hominum millia schisma goanum antehac non ita pridem sectati, connubia sua coram Presbyteris iurisdictione carentibus copularent; eos omnes concubinos effici nostra decreti promulgatione, exitio plenam rem esse futuram arbitrabamur, tum quoad eos qui pertinaciter schismati haerebant, tum quoad alios qui in dies schismate derelicto ad nos accedebant, tum denique quoad omnes qui Goanos Presbyteros essent sectati, siquando schisma finem haberet. Idque nobis peculiari prorsus ratione metuendum, quippe quibus Christifideles commissi fuissent, quos inter quadraginta circiter schismaticorum millia, quatuordecim Goanis Presbyteris per Missionem dispersis obsequebantur. Haud difficile sane, decretum vulgare in Missionibus illis citra Gangem in quibus, si unam, aut alteram excipias, nonnisi paucos Chri-

stifideles, puta, 4 millia, vel 20 circiter, vel ad summum 40 aut 50 millia reperire est cum exiguo plerumque Goanorum Presbyterorum numero. Sed in nostra Missione quae praeter tot Presbyteros et christianos, qui Goanam sectantur iurisdictionem, plusquam centum millia Christifidelium complectitur, decreti promulgatio, praesertim antequam Goani Praesulis sectatores bellum in nos gerere desinant, plurimam praesetulisset difficultatem.

Ad XXVI. Si connubia illa, tum qua clandestina, tum qua alio quopiam impedimento irretita, invalida sint, firmari ea, seu convalidari necesse est. Si vero nonnisi qua clandestina dubium ingesserint, novo illa instaurari coram Ecclesia consensu, tametsi laude dignissimum, lege tamen debitum esse nullatenus confici potest. Nam « illorum opinio docentium, ait Pius VII (litteris ad Carolum Dalberes Archiepiscopum Moy), matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita, nulla esse... nec undique vera est, nec satis tuta... Hinc factum est, ut adversarios semper habuerit et numero plures, et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Benedicto XIV a. 1741 pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem.» Qua sane declaratione de haereticorum simul et mistis connubiis agitur, quaeque idcirco non *intrinsecam* ei firmitatem impertiisse dicenda est, sed mere extrinsecam, in eo positam, quod authentice sit declaratum quomodo antea se iam haberent; ita quidem, ut defectus declarationis ef-

ficiat non quidem ut huiuscemodi matrimonia invalida sint, sed tantummodo ut de eorum validitate authentice nobis non constet. Quod sane tradere visus est ipsemet Benedictus XIV cum a. 1727 ad Henricum Cardinalem Eboracensem rescripsit: « Ex verissimis argumentis coniecturisque probatum est, Concilium Tridentinum cum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a nobis anno 1721 solutae occasionem dedere, et commode colligi potest ex suffragiis Theologorum et Canonistarum, qui hac de re scripserunt. » Et quamvis ut Pontifex ipse loquitur, constitutione *Matrimonia* §. 2. « Sanctitas Sua non ignoraret, alias in casibus particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, S. Congregationem Concilii pro earum invaliditate respondisse » « nunquam tamen (ait de Syn. l. 6. c. 6.) opinioni illi acquiescere potuimus, per quam praedicta matrimonia nulla iudicantur » *in universum*, intellige. Ex quibus patet responsum ad singula casus.

Ad XXVII. Iis quae de re hac constituimus cap. II. ad casum III. addidisse sufficiat, in Paroecia quaque decretum promulgari oportere, statutum ideo fuisse, quod eiusmodi agendi ratione, et catholici quodammodo cogerentur ad legis notitiam adipiscendam, et acatholici eidem inviti nequaquam subiicerentur; ut enim ratiocinatur Cardinalis Pallavicinus, et ex eo repetit Benedictus XIV (litteris ad Antonium Archiepiscopum Goanum): « Sicuti credibile non erat, decretum

huiusmodi ab ipsis promulgandum; inde sequebatur quod eorum matrimonia sine praesentia parochi, et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent. » Porro, quemadmodum finis iste, quem Synodus legi suae proposuerat, frustra nimis futurus fuisse videretur, si acatholicos eo ipso decretum ligaret, quo in ea promulgatum esset Paroecia, intra cuius confinia commorari illos contingeret, ita promulgationis eiusdem scopum, quoad catholicos, assequi plane est, si ea Christifideles spectare dicatur quosque, qui non ita procul a Sacello, in quo facta est promulgatio, morentur, ut Sacro festis diebus interesse non teneantur. Sic enim eatenus legem novisse coguntur, quatenus Sacro interesse tenentur. Quamobrem nisi forte arbitreris, decretum in regionibus hisce rite nunquam promulgatum fuisse, propterea quod nullae sint ibi Paroeciae (quod sane Sacrarum Congr. dictis et factis, nec non communi omnium in India Evangelii Praeconum sensui, plane adversatur), promulgationem eiusdem in sacellis huc illucque consitis, et vi pollere, et eos saltem, qui locorum distantia non prohibentur quominus inibi Sacro interesse teneantur, ligare constituas oportet.

Ad XXVIII. Titulo colorato potitos non esse tunc temporis eos qui Archiepiscopo Goano subesse se contendentes, Vicariorum iura spernebant, ex ea patet quae tituli huiusce tradi solet definitione. « Si error communis, ait S. Alphonsus (l. 6. n. 57.), est cum titulo colorato sive putativo, certum est apud omnes, ab Ecclesia conferri iurisdictionem... Bene tamen advertit Sanchez, quod

ut Ecclesia suppleat, non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet sit tantum putativus (quia forte ex aliqua causa invalidus), tamen sit revera collatus a legitimo Superiore, etsi huic vetitum sit aliunde titulum illum conferre. » Sanchez de re hac disputat l. 3. disp. 22, ibique docet titulum coloratum invalidum esse quidem, sed ob defectum latentem. Quod ut explanent Doctores, exemplo uti solent Episcopi, qui tametsi fuerit simoniacus, huiusmodi tamen defectus in universum plebem christianam lateat; quo sane fit, ut quae ab eo collata est iurisdictio, vi sua minime careat. Quamobrem titulus coloratus verum in alio titulum gignit; ideoque Goani Presbyteri, vel vero, vel nullo potitos fuisse titulo dicendi sunt. Si enim Goanum Praesulem, quoad exercendam in hasce regiones iurisdictionem, titulo colorato gavisum fuisse dixeris, Presbyteros ab eo delegatos vero titulo non caruisse inferamus oportet; si vero Praesul titulo nullo gaudebat, a se missos Presbyteros titulo nullo donare potuit. Goae Praesulem autem titulo colorato instructum fuisse, quis asserat? Iurisdictionem, de qua sermo est, in eo plane deesse nequaquam latebat. Id enim Sancta Sedes brevibus *Multa praeclare – Quantae laetitiae – Nosti,* nec non Vicariorum Apostolicorum institutione, palam ubique fecerat. Defectus itaque in eo latens non erat, ideoque titulus coloratus in eo plane non fuit, et in iis, qui ab eo mittebantur Presbyteris, nonnisi fictus agnosci potuit. Quod si titulo colorato penitus praetermisso, ob errorem, seu communem, seu priva-

tum, valida plura fuisse contenderis, quae Presbyteri illi, perinde ac si iurisdictione pollerent, peragere audebant, praesto sunt tibi quae Doctores abunde de utroque constituunt.

Ad XXIX. In Paroecia quapiam Synodi Tridentini decretum promulgatum iri, et tamen ex iis qui una eademque ratione ad Paroeciam spectant catholicis, alios decreto ligari, alios vero non item, res est, ut arbitror, a sacris Canonibus et Ecclesiae praxi prorsus aliena. Semel itaque admisso quod Tutocorini in Paroecia, seu quod idem est, in Ecclesia Paroeciae vicem agente, Tridentini lex, quoad clandestina connubia, fuerit promulgata, invalide quoque matrimonium iniri Sacerdotis praesentia haud honestatum, consequitur. At enim, urget Paulinus, tribules tantum Paraver nuncupati, connubia pervulgant, non solum si Tutocorinensi Sacello prope sedem collocent, sed etiam si procul ab eo commorentur. Decretum *Tametsi* in regione quapiam promulgatum non esse, nequaquam indubitanter ex eo colligi quod ibidem connubia vulgari non soleant, Goanum praesulem, iam ab anno 1751 docuerat Benedictus XIV (vide superius dicta). Perperam ergo Paulinus obiicit, tribules alios connubia, quae Tutocorini contrahunt, publicare non consuevisse. Insuper, ut praeteream mirum plane futurum non esse, si Goanos Presbyteros suspiceris, oscitantia et inscitia praxim huiusmodi ratam habuisse; quid causae fuerit cur initio tribules alii connubia sua publicare non consueverint, coniicere plane licet. Nimirum cum ii, vix aliter

quam alienigenae, Tutocorinum appellerent, ideo connubiis eorum banna nequaquam praeibant, quia sponsi christianae plebi satis noti non erant. Ex eo enim in loco originis et in domicilio facti, ut loqui mos est, connubia vulgari debent, quod alibi sponsi censeantur ignoti. Postmodum vero cum tribules alii, praeter Paravers, Tutocorini commorari coepissent, cur istorum connubia vulgandi praxis in morem perducta non sit; praeter alia non pauca, causae esse potuit quoque Paraveriorum stultitia, qui eamdem perinde ac sibi privatim concessum ius, insulse penitus vindicare coeperint. Quo sane coniicere quoque est cur Paravers, tametsi ab ora maritima procul admodum commorati, ideoque Tridentina lege nequaquam ligati, connubia tamen sua vulgare gestierint. Dices: Tutocorini Paravers omnes ideo connubia vulgant, quod ibi sponsi contribulibus plene noti plerumque sint. An non itaque etiam tribules alii qui ibidem sat noti habeantur, connubia sua vulgare debuerint? Sed obstare videtur fortassis ea, qua Paravers feruntur vanae gloriae cupiditas et iactantia. Cui sane perperam Missionarii concesserint, perinde ac ratio sufficiens existimetur, ut connubia Tutocorini inita, Paraveriorum nuptiis exceptis, in universum haud publicari fas sit.

Ad XXX. Sponsi, de quibus est casus, in pago Athenagorae domicilium haud statuisse videntur. Etenim tametsi domicilii figendi mens, in universum loquendo, praesumatur ob unius mensis habitationem, quoties contrarium aliunde non pateat, nulla tamen esse censetur, quoties contra-

rium revera palam existat. Atqui sponsi, de quibus est sermo, nec Tutocorinum relinquere, nec alibi, in pago Athenagorae subdito, diu commorari, in animo plane habuisse nota res erat. Quemadmodum enim citius quoad fieri posset, in patriam reverti cupiebant, ita ad eius quod perficere venerant negotii rationem, peregre diu commorari se velle censeri non poterant. Adhuc itaque Goanae iurisdictioni subesse dicendi erant, dum coram Athenagora connubium inibant.

Ergo ne connubium eorum perinde ac clandestinum et irritum habuerimus? Res ita profecto esset, si vero consona forent quae Paulinus in casu proxime praecedenti constituere non dubitabat; scilicet, Tridentinae Synodi legem eos qui sunt ex Paraveriorum tribu ita spectare, ut procul etiam a loco, ubi lex illa promulgata habeatur, eosdem obliget. Ea tamen ceu plane falsa merito reiiciuntur: inhabilitatio enim, tametsi personam sequatur, prout fert adagium, perinde ac umbra corpus, id tamen absolute et simpliciter intelligi nequit, nisi de eo, qui per sententiam iudicis in individuo inhabilis factus sit. Quamobrem, casum nostrum quod attinet, illud valere videtur, quod communis Doctorum sententia tradit, valide nempe, etiamsi clandestine, contrahere eos qui, cum indigenae sint regionis in qua Tridentina Synodus est promulgata, in aliam se conferunt (sed non in fraudem legis), ubi ea promulgata non est; siquidem peregrini non adstringantur patriae legibus, quando extra vagantur; et praesertim quoad contractus, cuiusmodi est matrimonium; quippe in eis sub-

iiciantur legibus, et sortiantur forum locorum, in quibus versantur, ut dicitur cap. fin. *de foro competenti*. At enim: in fraudem legis egisse videntur hic sponsi, quippe qui alibi se contulerint, ne coram proprio Sacerdote nubere cogerentur; id vero, ex Urbani VIII decreto, nuptias efficit plane nullas. Sponsa in fraudem legis alibi se contulisse dicenda non est; quippe parata fuerit ad nuptias coram proprio Sacerdote ineundas, si in pago alio is sibi occurrisset. Atqui Urbani decretum sponsi utriusque fraudem subaudire censendum est; cum enim plurali utatur dicendi ratione, tum illud merito sic interpretari videmur ob eam quam continet legem odiosam. Quod sane in casu nostro valere ex eo quoque putarim quod sponsus in fraudem legis peregre forte moratus quidem (fraus enim si quae initio fuerit, cognatis imputanda fortasse erat, non sponso), non vero profectus dicatur. Quae cum ita sint, perperam, ad huiuscemodi casus propositum, duas quas casus ipse commemorat, afferri putarim S. Congregationis Concilii declarationes. Altera enim structam decreto fraudem, altera vero domicilium alibi collocatum subaudit. Casus vero noster ita neutrum involvit, ut inter utrumque gradiatur.

Ad XXXI. Ex eo quod Benedictus XIV litteris ad Archiepiscopum Goanum datis, anno 1756 eum doceat ad validitatem matrimonii satis videri « quod antequam connubium initum sit, spatio saltem unius mensis, ille qui contraxit habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur » inferre visi sunt quidam, moram unius mensis cum satis esse,

tum plane requiri, ut quasi-domicilium figatur. Utrumque tamen perperam intulerimus. Quemadmodum enim qui animo caret quasi-domicilium in loco aliquo collocandi, etiamsi dudum in eo commoretur, domicilii iura nancisci non valet; ita huiuscemodi iura consequitur ab initio, qui revera animum habet inibi commorandi quamdiu ad veri nominis domicilium, vel quasi-domicilium quaeratur. Primum ostendunt illa, quae S. Congregatio in Abulensi anno 1640 protulit, scilicet: « non valere matrimonium contractum coram Parocho loci, ubi contrahentes reperiantur sine animo ibi domicilium contrahendi. » Alterum vero colligitur ex sententia lata per Sacram Congregationem Concilii (anno 1864 die 28 Augusti) « in causa matrimoniali, etiamsi ad mensis spatium habitatio protracta non fuerit, si evinci possit vera et determinata voluntas novi domicilii contrahendi, ex variis adiunctis, quae novam habitationem concomitantur, domicilium etiam contractum censeri. » *Excerpta ex Actis Sedis Apostolicae* v. 1. p. 138. At enim: Reinfestuel cum aliis (ius canonicum l. 2.) ait: « Verum domicilium non nuda voluntate et assertione, sed animo et facto simul constituitur. » Esto: interim tamen idem auctor docet (l. 4.) cum Sanchez et aliis, posse quidem domicilium adquiri, statim ac sponsi ad aliquem locum se se contulerint, animo etiam contrahendi matrimonium, sed hoc tunc tantum obtinere, cum sponsi revera habitare coeperint aliquot saltem diebus; simulque de animo manendi longiori tempore haud sit ambigendum. (*Excerpta* ibidem.) Quamobrem ad ea

quae ex Benedicto XIV mox afferebam, scite penitus intelligenda, docemur (loc. cit. p. 132.) « licet veluti quaedam norma statuatur habitatio, saltem unius mensis, ad rite contrahendum in aliqua nova Paroecia; tamen hoc mensis spatium accipiendum non esse sensu *praescriptivo*, sed omnino sensu *praesumptivo*, quatenus habitatio unius mensis praesumere facit animum domicilii adipiscendi. Hinc quando de animo constat, neque mensis censendus est necessarius, sicut e contra, neque mensis spatium esset sufficiens si de animo non constaret.» Quae cum ita sint, Hieronymus noster de contracto per sponsum utrumque Nagapatami quasi-domicilio, nihil penitus esse videtur, cur anceps animo haereat.

Ad XXXII. De iis quae vagum constituunt, sic loquuntur ephemerides saepe laudatae (loco citato p. 136.): « Ulpianus *lege* 27. *ff. ad municipales,* praemittens difficile esse sine domicilio esse quemquam, subdit: puto autem, et hoc procedere posse, si quis domicilio relicto, naviget, vel iter faciat, quaerens quo se conferat, atque ubi consistat; nam hunc, puto, sine domicilio esse, cui doctrinae auctores communiter consentiunt. » Et Ballerini (in G. de matr. p. 753.) « Vagum definit Benedictus XIV (instr. 33. n. 10.), qui relicto suo domicilio, sedem in exteris terris inquirit; quod intelligendum est, tum si destinavit, ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit; adhuc enim in utroque casu aeque domicilio caret, ut notat Sanchez (de matr. l. 3.). Adde necessarium non esse, ut sedem inquirat; aeque enim, imo a

fortiori, vagus dicetur, qui nullibi certam et constantem sedem habet, aut vult habere. Insuper, quoad rem praesentem, ut vagus quis dicatur relate ad Paroeciam, nec opus quidem est, ut domicilium in remota, seu altera regione quaerat; sed generatim satis est, quod priori Paroecia relicta, nondum in alia sedem defixerit; quia tunc revera sine Paroecia est; quippe qui priorem amisit, et aliam nondum acquisivit. Idcirco qui relicta Paroecia, nondum domum invenit, in qua habitet, et interim aliquo in loco hospitatur, iste est vagus; 2. etiamsi domum invenerit, in qua habitaturus erit, alibi tamen hospitatur, dum inventa domus antiquo expeditur habitatore, pariter, quoad Paroeciam, vagus est; 3. sic etiam, si in urbem advenerit, et nondum statuerit, qua in parte habitet, inter vagos, seu Paroecia carentes recensetur. Sanchez loc. cit. n. 4. Duo autem quoad vagos, sancta Synodus Tridentina Parochis praecipit: 1. ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint; 2. et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Inquisitionis autem modum habes in instructione, quam probante Clemente X edidit Sacra Inquisitio, ac integram cum aliis encyclicam referunt Giribaldi, Ferraris, et ex parte S. Alphonsus l. 6. a. 10. 89. » Quod ex S. Alphonso citatur et ad propositum nostrum sufficit, sic se habet: « Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant esse liberos per fides Ordinariorum suorum, servata forma Tridentini in c. *Menti* sess. 24. Fides aliaque do-

cumenta non admittantur, nisi munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum. Et attente consideretur, quod fides et testimonia bene identificent personas, de quibus agitur. Notant vero Salm. nomine vagorum hic non comprehendi vagos illos, qui in eodem loco vagi sunt; quia isti, licet incertam non habeant Paroeciam, tamen in illo loco iam cogniti sunt; unde praemissis denuntiationibus, bene possunt a quolibet Parocho coniungi. »

Ex iis omnibus luculenter patere videtur, nomades atque alios, quos casus commemorat, ceu vagos iure censeri, quatenus ea, in qua nuper commorabantur regione relicta, aliam quaerant in qua sedem figant. At dubium esse videtur quoad eosdem, cum primum in loco quopiam ea mente morari incipiunt, ut diu ibi permaneant, si tamen lucri occasio diu perseveret. Quod sane resolvi non posse videtur, nisi quaestione soluta: utrum in regione quapiam diu manendi conditionalis voluntas, satis censeri debeat, an non, ut domicilium, vel quasi-domicilium, inibi acquiri valeat? Qua de re primo notandum occurrit, animum diutius ubivis manendi, sive absoluta sive conditionali ratione se habeat, suapte natura eum esse non posse, ope cuius domicilium vel quasi-domicilium acquiri valeat. Mens enim, prout nuper ediximus, domicilium ipsum respiciat et appetat plane necesse est, ut illud nanciscatur. Quaeramus itaque oportet, quandonam alibi diu commorandi voluntas conditionata domicilium ibi figendi, seu com-

parandi cupida appareat. Id probe intellexeris, puto, si distinguas inter conditionem ad diutius ibi morandum, ita quaesitam ut impleri cupiatur, et eam quam impleri minime appetitur. Exemplo sint hinc ii, quos casus commemorat, inde vero alii quivis, qui in urbe quapiam merces emendi occasionem, vel itineris socium, vel litis exitum opperientes, consistant. Non obiter sane in loco ad quem pervenerunt manere volunt, illi quidem si quae vitae sunt necessaria diutius inibi comparare valeant, hi vero si quod praestolantur, haud cito perfici queat; cum eo tamen discrimine, quod conditionem impleri appetant illi, non isti. Hisce praeiactis, ratiocinari sic liceat. Domicilii iura in loco quopiam nancisci vult, qui ibidem, perinde ac indigenam, commorari in animo habet; secus vero qui inibi ut alienigenam habere se statuit. Atqui indigenas inter, et alienigenas hoc intercedit, quod permanenter illi, obiter isti locum incolere cupiant. Quisquis itaque in regione ita consistat, ut vel quantum ex se est, vel ob officium cuius gratia in regionem appulerat, ibidem diuturno tempore commorari cupiat; permanenter in loco esse primo et directo censetur; ita quidem ut tametsi ob alienam ab eius officio vel proposito causam, loco discedere ad breve tempus cogatur, ibidem tamen, perinde ac indigenam, commorari in animo habere censendus sit. Si vero primo et directo regionem obiter tantum lustrare cupiat, etiamsi diutius in ea consistere intendat, cum id, cuius faciendi causa ibidem advenerat, haudquaquam cito perficere liceat, perinde ac alienigenam,

in eadem habere se velle putandus est. Quae cum ita sint, patet in regione quapiam diu permanendi voluntatem conditionalem, domicilio acquirendo satis quandoque censeri; nomades autem et alios, quos casus commemorat, cum in regione aliqua sedes primo defigunt, ceu vagos haberi non posse, quatenus in regione, quam incolere coeperint, vitae necessaria diuturno tempore adipisci se cupiunt. Atque huc facere videntur illa quae Ephemerides supra citatae p. 155, aiunt: « Animus manendi in loco novae habitationis quandoque est expressus.....quandoque vero hic animus ex actu ipso, quo quis transfertur ex uno loco in alium, fit manifestus; nimirum si pristinum omnino deserat domicilium, et summam rerum fortunarum, et familiam etc. ad aliam transferat paroeciam. »

Quae de conditionali domicilium figendi mente statuimus, plane firmari videntur resolutione per Sacram Congregationem anno 1723 facta celeberrimi casus Caesenatensis (de quo Benedictus XIV. Constitutione *Paucis abhinc*). Sponsi Caesena, ut se parentum molestiis eriperent atque difficultates aufugerent, in quas offendissent si matrimonium coram Caesenae Parocho inivissent, Forolivium profecti fuerant ea mente, ut statim ac inibi matrimonium initum esset, Caesenam reverterentur. Interim tamen puella antequam Caesena discederet, palam fecerat se domicilium Forolivii deligere, ubi materna avia degebat, quam tutricem sui, et curatricem praedicabat. Fere statim ac sponsi Forolivium pervenerant, connubium ibi-

dem inierunt, quod S. Congregatio validum esse constituit. Sponsos nonnisi conditionali mente fuisse (si nempe connubium ocius iniri non potuisset) Forolivii diu commorandi, indubium apparet. Et tamen quasi-domicilio ibidem figendo, satis fuisse statutum est. Dices: conditionem impleri puella non appetebat. Respondeo: Officium tamen cuius gerendi causa (inter aviae scilicet familiares censeri, eique subesse) Forolivium advenerat, incolatum poscebat non transitorium. Ergo diuturno tempore, nec non perinde ac loci indigena, Forolivii manendi primo et directo, mente fuisse puella censenda fuit.

Ad XXXIII. Quatuor disputanda se offerunt in huiusmodi casu. Primum: utrum Arianna domicilium nullatenus Pudicerii constituisse, revera dicenda sit? Deinde, num tanta fuerit litterarum, quae statum Macrobii liberum demonstrarent, necessitas, ut sine eis de nuptiis Macrobio annui revera non posset? Tum, utrum Macrobius ceu vagus haberi potuerit? Postremo tandem, utrum sponsis liberum fuerit ubivis connubium inire?

De primo quid constituas, tametsi sponte veluti sua consequi videatur ex iis, quae ad casum proxime antecedentem ediximus; quo tamen res magis magisque pateat, nonnulla subiiciam. Nemine dissentiente validum existimaretur connubium cuiuspiam, qui ex Gallia, puta, Londinum profectus ea mente ut domicilium ibidem figeret, postridie adventus sui nuptias iniret, et eadem die, repente ortae, nec satis praevisae necessitatis causa, Parisios reverteretur. Atqui Arianna navem con-

scenderat pluresque in ea navigarat dies ea penitus mente, ut Pudicerii figeret domicilium. At enim: mentem adeo mutavit puella, ut alio prorsus animo se haberet, cum Pudicerium pervenit. Non alio prorsus animo se habuisse dixerim, sed paulum inflexo; cum enim absolute de domicilio Pudicerii figendo cogitavisset, iter primum aggressa, mens eius hoc ipsum velle postmodum coepit, ea conditione, quatenus nubere, vel omnino non posset, vel absque diuturno Pudicerii incolatu, nequaquam liceret. Quae sane mens si quominus domicilium constitui valeat, obesse dicatur, puellae connubio maturae, quae una cum parentibus in regionem quampiam proficiscuntur, ut inibi domicilium constituant, novo hoc domicilio plane carere censendae forent; quippe quae ea mente proficiscantur, ut quantocius fieri valeat nubant, et quatenus necesse fuerit, regione decedant. Quae sane mens cum minime obfuerit sponsae Caesenatensi, de qua dictum est in casu proxime antecedenti, ut patria decedens, alibi domicilium collocare valeret, quid causae esse quiverit cur obesset Ariannae, profecto non video. Quin imo Ariannae conditio sponsae Caesenatensis, domicilii iura quod attinet, conditioni praestasse plane videtur. Etenim, tametsi utraque novam incolendi regionem nonnisi conditionali mente se haberet, diuturni tamen in ea regione incolatus, in Caesenatensi muliere quidem libera erat voluntas, sed Ariannae ipsamet rerum adiuncta ineluctabilem quamdam afferebant necessitatem. Quae sane necessitas eiusmodi est, ut etiamsi voluntas appe-

tendi sit nescia, prout accidit in pueris rationis usu carentibus, attamen suapte natura satis profecto sit ut domicilium figatur. Quod sane in omnibus filiis, qui patriae potestati subduntur, valere plane videtur; quippe soboles rationis usu, sive compos fuerit, sive expers, sive de domicilio cogitet, sive non; eo ipso quo parentem sequitur atque in ea, quam parens incolit regione morari, quatenus quin ita fiat nihil impediat, in animo habet vel saltem haberet si de re cogitaret, domicilium ibidem non minus quam parens ipse collocare censetur.

Alterum quod spectat, tametsi ordinario recedendum non sit a recepto in Ecclesia more, ut absque litteris, quae de statu sponsorum libero testimonium praebeant, connubium extra patriam inire non liceat; ubi tamen eius rei certitudo, praestito saltem a sponsis iureiurando, aliter comparetur, et quominus litterae arcessiri valeant, gravis plane causa prohibeat, nihil esse videtur, cur ob litterarum carentiam, sponsis de matrimonio contrahendo abnuatur.

Tertium quod attinet, ex iis quae nuper ad casum XXXII. ediximus patere videtur Macrobium vagi nomine appellari non potuisse. Re sane vera: quod in Gallia contraxerat domicilium, ab eo plane desertum esse, vel novum adhuc ab eo quaeri, ita ut nullibi magna anni parte consistere eatenus velit, quatenus sedem alicubi sibi fixisse dici possit, nemo crediderit.

Postremum ex eo disputandum occurrit, quod cum Praefectus immerito nuptias praesentia sua cohonestare recuset, impotes sponsi revera fiunt

ad proprii Pastoris praesentiam connubio suo comparandam. Porro non paucis satis probabilis est eorum sententia, qui dirimens clandestinitatis impedimentum nequaquam subesse docent, si quominus sponsi proprio Sacerdoti se sistant prohibeat, non solum commune aliquod, sed etiam speciale quodpiam impedimentum. Quae sane sententia duobus praesertim firmari aiunt. Primum est quod absonum esse videatur ob impossibilitatem sive physicam sive moralem servandi formam a Synodo praescriptam, connubia subtrahi Christifidelibus, non solum si impossibilitas illa fuerit communis (de quo omnes conveniunt), sed etiam si fuerit particularis. Insuper quod in contrarium affertur, Tridentinam scilicet legem esse irritantem, communem pariter et specialem respicit impotentiam. Alterum in eo est, quod impedimenta dirimentia quandoque revera cessare tradant Doctores omnes, ob particularem quampiam necessitatem. Sic « asserit Pignatellus, apud S. Alphonsum (l. 6 n. 1079), in universum in casu urgentis necessitatis, non modo reservationem (scilicet dispensationis), sed etiam legem impedimenti cessare; utpote quae iam perniciosa evaserit, cum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum S. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncaglia et Instructor novorum Confessorum, quod adveniente casu, quo sponsi iam ad Ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestet Confessario impedimentum occultum iam contractum, tamquam peccatum, et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset; potest

tunc Confessarius declarare, eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi.» Alia autem huius necessitatis exempla promunt, tum Franciscus Amici, tum Iacobus a Graffis, quae videre licet etiam apud Diana (t. 2 tr. 6 res. 72 et 73), ubi pro eadem sententia Theologum offert Tridentinum Dominicum Soto in 4. dist. 22; tum etiam Pignatelli, qui de celebrando matrimonio morte instanti disserit. Inde autem est, quod Marchant (Tribun. Sacram. tom. 3.) postquam hanc thesim statuit: Datur epicheia et interpretatio in lege illa de praesentia parochi in matrimonium, quando ex causis realibus illa praesentia est impossibilis etc. hanc ipsam confirmat ex responsione S. Congregationis ad Episcopum Tricarensem; quia nimirum quae affertur ratio pro utrisque adiunctis, eamdem vim habet.

Fateor tamen haec omnia ut ut rationi consona appareant, casui tamen, de quo nobis est sermo, de facili aptari non posse. Cum enim periculo plena res est constituere, sponsis fas esse clandestine nubere, eo ipso quo arbitrantur Parochum iniuria de nuptiis abnuere, tum insipiens plerumque dicendus esset Sacerdos, qui invito Parocho eiusmodi nuptiis adesse non vereretur. Quemadmodum enim vix cuique in praxi continget, ut Parochi renutus plane nulla defensari possit ratione, ita ubi res dubia fuerit, Parochi munus et ius possessione potiri dicenda sunt. In proposito casu, ut alia praeteream, Praefecto, ob requisitas de statu libero testimoniales, vix succenseri potuerit, quin ulla prorsus, probabilis saltem, sic agendi ratio

ei favere appareret. Iustini itaque declinatus ab honestando praesentia sua, sine Praefecti venia, connubio, laudem meretur.

Ad XXXIV. Altera Missionariorum agendi ratio quam casus commemorat, mihi plane probatur. Quemadmodum enim pudice admodum et honeste Confessarius hortari potest maritum ad utendum uxore; ita id rei naturae contrarium esse, in iis quae casus prodit personarum adiunctis, confici nequit. Vel enim ex corporis valetudine periculo obiecta, vel ex spermatis extra vas effusione, rem inlicitam esse prima fronte videri posset. Atqui periculum illud quod attinet, ut praeteream male prorsus ex eodem in universum inferri, copulam non licere, periculum ipsum in casibus singulis, de quibus est quaestio, subesse incerta nimis res est, ut ex eo quidquam iure inferatur. Spermatis vero effusionem quod attinet, Doctorum quorumdam sententia est (v. S. Alph. l. 6. n. 1067), eiusmodi sponsis biennium iure concedi, vel triennium ad experimentum sumendum, seu, quod idem est, coniuges tametsi physice impuberes, posse tamen conatus ad copulam adhibere, etiam cum periculo seminandi extra vas. Equidem communior sententia, teste S. Alph. (ibid.), contraria se habere ratione videtur. Attamen sententia alia plane probabilior apparet. Et gemina praesertim de causa. Prima est quod coeundi conatus, coeundi festinare videatur potentiam, quod sane quidam, duce Hieronymo, ex facto Achaz, qui Ezechiam anno aetatis undecimo genuit, inferri contendunt. Altera vero in eo est, quod saepe laudatus Ballerini

docet (ad G. n. 855). « Receptum nunc communiter penes physiologos medicosque illud est, quod experientia docuit, ad conceptum generationisque effectum, nequaquam necessarium esse ut vir seminandum humorem effundat iniiciatque in interiores usque feminei organi partes; sed satis esse quod eiusmodi humor ad externam eiusdem organi superficiem, seu ad vaginae ut aiunt os, ingressumque effundatur et applicetur. » Citat deinde medicae artis auctores, qui hanc propugnant sententiam. Docet tandem post haec, coniugibus matrimonio sic uti fas esse, quando ab eisdem nihil amplius praestari possit. « Neque enim, subdit, existimandum est, quia ex ea congrediendi ratione possibilis manet aliquo modo generatio, et sic fine seminalis substantiae non omnino frustrato, actus elici naturae repugnans non potest, ideo fas esse coniugibus imperfectissima ea ratione matrimonialibus iuribus uti, quoties congredi aptiori modo possunt. Etsi enim generatim non teneantur summam adhibere diligentiam, quo effectus a natura in opere coniugali intentus, certius sequatur; ad cavendum tamen, quantum in eorum potestate situm est, eum operis modum obligantur, vi cuius non solum praepediri, sed etiam non obtineri nisi difficillime generatio posset. Illud interim Confessarius sedulo advertet, occasionem utendi praemissis physiologiae principiis, non iis dumtaxat circumstantiis circumscribi, in quibus vir perfectius, quam ibi dictum fuerit, partes suas explere non valeat. Nam frequentius forte contingit, ut dum vir officio suo fungi perfecte posset, muliebria ta-

men organa huic operi deservientia, aut etiam valetudinis complexionisque praesens conditio, iis afficiatur incommodis ac morbis, ut congressum praedicto perfectiorem, nullatenus permittant. »

Ad XXXV. Impotentia de qua est casus, non ex sexus ambiguitate, neque ex improportione oriebatur. Sed neque ex maleficio proveniens censeri poterat. Damasus enim non erga uxorem dumtaxat, sed in feminam quamque reluctantiae sensum experiebatur. Superest ergo, ut si quae fuerit veneris impotentia, ex frigiditate oriretur. Inde tamen ortum haberet nec ne, dubium ingerit quod casus enarrat, delectatione scilicet subito concitata, sperma quandoque emissum fuisse, quin tempus suppeteret accedendi ad uxorem. Id enim caliditatem plane nimiam subaudire videtur. Porro frigiditate simul, et caliditate Damasum laborasse, quis credat? At res aliter, puto, explananda est. Frigiditas seu libidinis ille defectus, et veneris impotentia, quae *anaphrodysia* vel *atechnia* vel *agenesia* vocatur, species habet veras alias ut aiunt, alias vero spurias. Veri nominis species sunt *paralytica* et *gonorrhoica*. Spuriae vero, idest veneris rite exercendae impedimenta, sunt anaphrodysia a mariscis; et anaphrodysia ab urethrae vitio quae ad dispermatismi genus pertinet. Porro Damasus, ut patere videtur, anaphrodysia laborat paralytica simul et gonorrhoica. Paralytica cum nulla apparet penis erectio, libido nulla. Cum vero delectationem subita comitabatur seminalis humoris emissio, Damasi anaphrodysia gonorrhoica censenda erat. Quod sane cla-

rius, et pro casibus aliis, non impotentiam sed spermatis fluxum spectantibus, non inutiliter intellexeris si, quid gonorrhoea sit et quot eius sint species, obiter saltem didicisse non pigeat. Gonorrhoea est humoris ex urethra in maribus, vel absque libidine, praeter naturam fluxus. Species eius sunt purus, impurus, mucosus, laxorum, dormientium fluxus. Gonorrhoea *pura* est, in qua absque praecedente concubitu impuro, humor puriformis sine dysuria (i. e. doloris sensu), vel libidine ex urethra subinde fluit. *Impura* est in qua post impurum concubitum humor puriformis sine dysuria nec libidine, ex urethra subinde fluit. *Mucosa,* in qua post gonorrhoeam impuram humor mucosus cum nulla vel minima dysuria, ex urethra subinde fluit. *Gonorrhoea laxorum* est, in qua humor plerumque pellucidus, sine penis erectione sed cum libidine, in vigilante subinde fluit. Gonorrhoea tandem *dormientium* in qua liquor seminalis cum erectione et libidine, ex somno libidinoso eiicitur.

Ex hisce sane patet, Damasum plane potuisse laxorum gonorrhoea quandoque laborare, tametsi anaphrodysia plerumque afficeretur. Imo quoniam haec virium defectu paritur, mirum sane non est, si quis ea laborans, ad venerem tandem aliquando excitatus, viribus haud satis instructus appareat ad continendum aliquo temporis spatio spermatis lapsum. Quae cum ita sint, quod nimiam caliditatem modo vocavimus, laxitatem infirmitatemque rectius dixerimus.

Anaphrodysia, vel ut Theologi loqui amant,

frigiditate ordinario laborat Damasus noster. Quod sane, praeter ea quae casus commemorat, palam fortasse faciebat Damasi species, quae tametsi bene prorsus valentis corporis conformationem ostenderet, attamen munditiei consuetudine, et oris habitu, virginei nescio quidpiam, quod in adultioribus Indis vix unquam conspicere est, redolere dixisses. Quae sane omnia cum ita essent, duo quaerebantur. Primum: utrum ad uxorem reverti vel deberet, vel posset? Alterum: quomodo in praxi de re constituere oporteret? Primum quod spectat, quousque certo plane haudquaquam constiterit, Damasum coniugio, ne quidem eo quem responsione ad casum proxime antecedentem ex Ballerinio commemoravimus modo, coniugii debitum solvere potuisse, districte iubendus erat, ut repugnantia quavis posthabita, experimentum, et quidem iterato diuque, de seipso caperet, et conaretur connubio uti. Quod si tandem id rei certo prorsus constiterit, casui accommodanda fuissent, opinor, illa quae S. Alphonsus docet (l. 6. n. 1101). « Cognita impotentia certa et perpetua, sponsi possunt illico separari, etiam ex propria auctoritate... imo tenentur, si adest periculum incontinentiae... Si autem velint cohabitare ut frater et soror.... recte advertit Merbesius, hoc nunquam permittendum, si sponsi non sunt senes. » Dices: scandalum forsan imminebat ex huiusmodi separatione, quo sane casu S. Alphonsus l. c. ait: « Tunc debent reclamare coram iudice ecclesiastico, a quo separandi sunt, saltem quoad torum, et si alter peteret, etiam quoad habitationem. » Respon-

deo: vix scandalum oriturum fuisset maius ex sponsorum privata invicem separatione, quam ex facta per Vicarium apostolicum rei ad forum externum evocatione, et aliis quae prolatae per tribunal sententiae praeisse necesse fuisset. Quomodo enim septem vel quatuordecim (prout fieri iubet cap. 5 *de frigidis et malef.*) testes Indi, quorum veracitati et prudentiae in huiuscemodi re fideremus, corrogari valerent, haudquaquam intelligo. Praestasset ergo, ut Vicarius apostolicus, causa per Missionarios perpensa, eisdem privatim mandasset ut quatenus ex iis quae Damasus, et uxor eius sub iurisiurandi religione satis constare videretur, revera sex annorum spatio eos invicem coire non potuisse, remque tribulibus innotuisse, Damasum ab uxore separari permitterent. Quae sane iuris praescripto dissona haud arbitramur. Nam si propinqui aut vicini septem qui testimonium dicant haberi nequeant, res iudicis arbitrio iuris statuto dimittitur. Cum itaque testes eiusmodi, quibus prout par esset, rem explanare fidemque praebere plane possemus, vix inter regionis indigenas deprehendi potuerint, operae pretium futurum fuisse, si vel in externo foro summaria ratione Damasi lis diiudicata fuisset, putaverim. Quod sane ex eo etiam capite probandum, quod cum Damasus novas inire nuptias recusabat, tum Damasi uxor, ob morem in tribu receptum, ad alia vota transire permissa non erat.

Quid vero si uxor quadantenus a Missionario interrogata, quod sane contigit, tale quaestioni responsum praebuerit, quo arbitrari se videretur

copulam aliquando locum vere habuisse? Prima fronte putaveris id rei additum ei, qua de Indorum veracitate plerumque merito angimur dubitatione, ita se habere, ut, veneris impotentia Damasum laborare dubium revera subsit, ideoque connubium possessione exturbari non liceat. Quod sane firmari videtur ex cap. *continebatur* de disp. imp. « Si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, et mulier negaverit, viro fides est adhibenda, si id firmaverit iuramento. » Et tamen aliter censeo. Primo enim, in casu nostro coitum mulier affirmare videtur quem pernegat vir. Et quidem si Damasus copulam unquam intercessisse ideo negaret, ut ad alia migrare vota valeret, uxori quam marito fidem praeberi mallem: sed Damasus alia prorsus de causa connubium dirimi expetit. Praeterea penes uxorem non solum minus plane quam tanti momenti res postulabat quaesitum est, sed satis inquiri possit nec ne, plane dubito. Quod vero asserere visa est, num tactus, an veri nominis copulam subaudiret, prout Missionarius ipse, qui mulierem de re percontatum se esse dixit, suspicabatur, incerta prorsus res est. Quod sane non est cur miremur in femina, quae virgo nuptui data, praeter proprium, atque libidine carentem virum, alium nescierit. Haec omnia eiusmodi plane sunt, quibus Damaso fidem in foro etiam externo praebendam putarim.

Ad XXXVI. Quoad matrimonia ante baptismum inita, praefati generis impedimenta nullam baptismo suscepto vim obtinere diximus §. II cas. XVIII et seq. nec non §. III ad cas. I et seq. Quoad con-

nubia post baptismum iungenda, haec habeto. Impedimenta neminem in individuo afficere valent (saltem quoad ea de quibus est quaestio), nisi ob eiusdem adiunctum quodpiam ex sequentibus quinque: generatio activa vel passiva; matrimonium legitimum vel consummatum; sponsalia; fornicatio; crimen. Porro huiuscemodi adiuncta quatenus baptismo praeierint ita se habent, ut ex generatione quidem atque connubio impedimenta ortum ducant; ex aliis vero non item. V. dicta ad cas. XIX, quibus addi potest quod ait Sanchez lib. 7. disp. 65. « Affinitas orta ex matrimonio consummato est quid naturale, et oritur tempore infidelitatis, etiam usque ad quartum gradum quamvis matrimonium non sit consummatum. » Duo tamen hic explananda sunt, quae difficultatem haud exiguam parere solent. Primum est quid causae sit, cur affinitas orta ex connubio ante baptismum inito, impedimento sit post baptismum, non vero ea quam gignunt sponsalia vel fornicatio? Alterum vero continet declaratio Sancti O. a. 1837, qua statui videtur connubia legitima ante baptismum inita, impedimento post baptismum nequaquam ortum praebere. Prius illud reiici quispiam fortasse putarit eadem quam de impedimentis, quorum causa baptismo suscepto posita fuerit, Sanchez adhibet responsione, nimirum haec omnia positivo iure constitui. At praeterquamquod frustra quaereres canonem, quo expresse constituatur ex connubio quidem et generatione impedimentum oriri, non autem ex crimine, fornicatione, et sponsalibus, canonica lex ad iuris

naturae, sin minus determinati, at certe saltem indefiniti, normam in huiusce generis rebus statuta est, ideoque scite quaeritur ratio praefati discriminis connubium inter, atque sponsalia et fornicationem. Porro Doctores, ut patet ex iis quae supra attulimus ex Sanchezio, rationem huiusmodi ex eo reddunt, quod affinitas ex matrimonio sit naturale quidpiam, non autem ea quae ex sponsalibus, aut fornicatione ortum habet. Dices: res haud satis clara videtur; praesertim Paulo clamante « qui adhaeret meretrici una caro cum ea efficitur » non secus ac coniuges unam fieri carnem dicantur. (V. §. II ad cas. XVII.) Respondeo: Paulum hic de actu coniunctionis materialiter, et in se ipso spectato, sermonem habere, non autem de necessitudinis officiis, quae ex eodem nascuntur. Paulus enimvero meretricem amasio debitum reddere, nunquam hortatus est. Ratio autem canonicae legis vel consuetudinis hac in re, ex triplici fonte oriri videtur. 1° Affinitas vinculum quoddam est individua maris et feminae vitae ratione fundatum. Atqui individuam vitae rationem suapte natura parit quidem connubium, non vero fornicatio, aut sponsalia. 2° Affinitas iure naturae non oritur, nisi ex facto quod iure naturae sit institutum. Porro naturae ius instituit quidem connubium, non vero sponsalia, quae ex hominum institutione connubio praegredi solent, neque fornicationem, quae contra naturae ius est. 3° Affinitas utpote relatio suapte natura permanens, causam natura sua permanentem requirit. Atqui fornicatio et sponsalia suapte natura per-

manens quidpiam dici nequeunt: quippe priorem illam intercipi naturae ius districte praecipiat, haec vero contrahentium voluntate rescindi possint. Dices: haec omnia disiici plane videntur iis, quae, ut dictum est, S. O. declarasse fertur anno 1831. Quae sane prout iacent in libello, lapideo prelo Parisiis a Sodalibus Congr. Miss. ad Exteros edito, exscribam. « Aprilis 19 S. C. supremae inq. ad dubium propositum ab Illmo Dño Haward Vic. ap. Tunk. or. matrimonium ratum non consummatum paganorum, producit ne honestatem publicam? Vel censetur ne impedimentum dirimens post eorum conversionem? Resp. Impedimentum non subsistere. » Obiectum istud primo quidem, ut vi aliqua polleat, Sacrae C. declarationem non mutilam (et quidem adeo foede ut matrimonium ratum cum legitimo confundi penitus videatur) sed integram continere oporteret. Deinde satis, ni fallor, retunditur iis, quae alias innuimus, matrimonium scilicet ethnicorum (Indorum saltem) haud consummatum, a sponsalibus aegre adeo discriminari, ut in praxi vix unquam dubium de re merito nobis non obversetur. Porro huiuscemodi dubium satis superque esse videtur ut impedimentum haud subsistere constituamus. Vide dicta §. II ad cc. XV et XX.

CAPUT VII.

DE IMPEDIMENTORUM DISPENSATIONE ET CONNUBIORUM INSTAURATIONE.

Clausulae adhibendae in facienda impedimentorum dispensatione.

I. Romana Sedes Vicariis apostolicis, atque per eos Missionariis potestatem impertiri consuevit « dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis gradu, et affinitatis simplici, et misto cum secundo, et etiam in secundo solo... super impedimento publicae honestatis ex sponsalibus proveniente... super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante... in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levatum et levantem.» Mox in pagella facultatum subiungitur: «Hae vero dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit in potestate raptoris non existat, et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.» Quae sane verba, dispensationes nonnisi scripto fieri subaudire videntur, et dubium ingerunt de validitate, nedum de liceitate, dispensationum, in quibus ne oretenus quidem, quae clausula hac continentur, expressa fuerint.

Numerus impedimentorum haud reticendus.

II. Rodericus Missionarius die quadam cum Henrico cooperario de facienda impedimentis con-

nubii derogatione disceptans, praefidenter sic loquebatur: Qui dispensationem largitur super impedimentum maius, eo ipso minus etiam expungit, etsi ignotum, modo impedimentum utrumque eiusdem generis sit et specici; impedimentorum enim quisquis numerus sit, parum interest; ita quidem ut cum Missionarius impedimento deroget, puta secundi cognationis gradus, eo ipso tertii et quarti et alia quotquot fuerint eiusdem generis et speciei impedimenta auferantur. Briseus contra, huiusce generis impedimentorum uno sublato, auferri dumtaxat remotius aliud eiusdem generis, speciei et numeri contendebat; ita ut si sponsi puta, in linea collaterali inaequali existant, et secundo ac tertio cognationis gradu a connubio invicem contrahendo impediantur, secundo sublato tertium quoque auferatur, non aliter.

Facilitas nimia in dispensationibus impertiendis.

III. Insimulamur quandoque de nimia in faciendis impedimentorum dispensationibus indulgentia. Quod sane rationi consonum prima fronte putaveris, tum ob frequentiam impertiendi dispensationes quae raro admodum in Europa concedi solent, tum ob causam sic agendi, quae aliquando revera nulla esse videtur, praeter oratorum obstinationem et pertinaciam.

Reticentiae poena.

IV. De impedimentis, quae Indi nostri saepe admodum reticere novimus, in universum alibi dixi. Speciatim tamen commemorandum est illud, quod oritur ex incestu a sponsis invicem perpetrato. Istiusmodi impedimentum, tametsi non raro subesse (praesertim cum sponsi, Indicae gentis more, veluti connubii invicem ineundi iure potiri censentur, ex eo quod alter fratris sit filius, altera vero filia sororis) non immerito suspicati fuerimus, alto tamen quandoque silentio premi contingit. Imo quomodo extra confessionem sacramentalem, impedimentum istiusmodi vel aliud quodvis ex copula occulta progenitum patefiat, non satis liquet. Sacrae enim Poenitentiariae tribunal ab India procul est magis profecto quam par esset ut huiusce generis impedimenta ad illud deferri valeant.

Item.

V. De matrimonio inter consobrinos gradu secundo cognatos, sed quorum avus et avia eodem pariter cognationis gradu invicem iuncti, connubio fuerint copulati, non ita pridem Missionarii non pauci inter se dissidebant, contendentibus aliis, secundum simul et quartum cognationis gradum, consobrinorum huiuscemodi matrimonio prorsus obesse; aliis vero nonnisi gradus secundi causa connubium diremptum iri volentibus; aliis vero rem dubiam, et eam de qua Sanctae Sedis oracula

praestolemur, esse opinantibus; aliis tandem disputationem hanc perinde ac lanae caprinae quaestionem ridentibus. Qui duplicem cognationis gradum subesse dicebant, id rei confici arbitrabantur ex eo quod parentum cognatio in proles descendat. Qui nonnisi secundum, eumque simplicem gradum obesse volebant, sic ratiocinabantur. Secundus cognationis gradus, semel ac super eam dispensatum fuerit, amplius non est; atqui nemo dat quod non habet. Re sane vera parentes invicem cognati non sunt, quippe qui caro una efficiantur. Qui ancipites erant, ex eo angebantur quod hinc sanguinis identitas, inter consobrinos, maior plane fuerit, si non solum in avio et avia, sed etiam in abavo et abavia coeant; inde vero semel extinctum impedimentum, in prole denuo exurgere non videatur. Postremi tandem quaestionem hanc perinde ac futilem traducebant, ex eo quod praxim vix unquam spectare putarent.

Incestus, quo facilius dispensatio obtineatur.

VI. Non raro accidit in hac regione, ut christiani improbi, qui dispensationem super impedimentum obtinere non potuerunt, ut eam quomodolibet consequantur, connubium gradu prohibito ineant; probe enim norunt, fore ut Vicarius apostolicus, concubinatum non aliter auferendum, quam impertita dispensatione, praenoscens, eam denique tandem largiri consentiat.

Incestus iteratus, petita iam impedimenti dispensatione.

VII. Iamdudum concubinatum agebat vir quidam cum uxoris vita functae sorore. Tandem poenitentia motus, nec tamen mulierem dimittere volens, dispensationem super affinitate a Vicario apostolico expostulavit per Missionarium, qui iussit eum illico a femina separari, donec obtenta dispensatione, cum eadem connubium iniret. Iussis obtemperare tametsi cordate promittere visus sit vir, mulierem tamen nequaquam dimisit. Quamobrem Missionarius litteris de sublato per Vicarium impedimento receptis, vehementer dubitare coepit de dispensationis huiusce validitate.

Multa sponsis, super quorum impedimenta dispensationes fiunt, irrogata.

VIII. Tridentina Synodus iubet dispensationes fieri gratis; ita quidem ut anno 1669 Sacra Congregatio, approbante Clemente IX, responderit, nihil pro dispensationibus matrimonialibus exigi posse, etiamsi quod exigitur pauperum et Ecclesiae usibus devoveatur. Quamobrem iamdudum mos est Vicariis apostolicis postulare ab Apostolica Sede, ut sibi liceat pecuniarias exigere multas ab eis quorum impedimentis dispensaverint. Ita sane factum iampridem novimus in ora Malabarica; deinde a Vicariis apostolicis Mysuriensi et Pudiceriensi. Novissime vero, anno scilicet 1867,

a Vicario apostolico Madurensi, cui potestas facta est « exigendi modicas multas, iuxta vires eorum, qui dispensantur, in elargiendis dispensationibus matrimonialibus ; exceptis fidelibus vere pauperibus et mendicis, et sub expressa iniunctione, ut eiusmodi multae in pios usus fideliter omnino erogentur. » Haec autem haud satis cohaerere videntur cum iis, quae docet S. A. l. 6. n. 96. « Accipiuntur solutiones in dispensationibus in matrimoniis etc. etiam per modum sustentationis, sicut vota commutantur in eleemosynas. Et conceditur etiam Episcopis, in talibus dispensationibus, accipere aliquid in eleemosynas distribuendum (modo ipsis vel suis nihil perveniat) per modum poenae, vel commutationis, non autem per modum sustentationis; hoc enim vetitum est illis ex capite *Iacobus* de sim. et a Trid. sess. 24. c. 6. et sess. 25. c. 18. de ref.» Imo l. 6. n. 1130. probari ei videtur quod Salmanticenses de matrimonio c. 14. docuerunt, praeter causas alias dispensandi super impedimenta connubii, censendam esse subministrationem maioris pecuniae. Porro nonne ex Sacrae Poenitentiariae declaratione, tuta prorsus conscientia S. Alphonsi amplectimur opiniones ?

Matrimonium cum testis unius dumtaxat praesentia initum.

IX. Non ita pridem, cum schisma Goanum in hac regione vigeret, coniuges, quorum connubio Presbyter qui schismatis partes sectabatur, aderat in loco, ubi decretum *Tametsi* promulgatum cen-

sebatur, Missionarius suaserat ut coram se connubium instaurarent. Quo tamen instaurationis huiusce, quoad eius fieri posset, minus coniuges ipsos puderet, vespere, cum in Sacello nemo praeter Catechistam adesset, consensum renovari curavit. Postridie, cum iam a coniugum pago procul abesset, quod pridie egerat mente revolvens, heu! animadvertit testem alterum connubio, oblivionis causa, defuisse. Quid faciendum? Si enim coniuges ad connubium tertio ineundum revocasset, risu penitus excipienda ea res visa esset, atque causae quoque futurum fuisset, cur coniuges recens a schismate reversos, conversionis taederet, nec non schismatici alii a conversione deterrerentur.

Dirimens connubii impedimentum materialiter quidem notum, sed formaliter ignotum.

X. Decima inter concessas a Vicario apostolico Madurensi Missionariis suis facultates, sic se habet: « Dispensandi super impedimento primi cum secundo, ac secundi tantum affinitatis gradus ex copula illicita proveniente; in matrimoniis ignoranter vel scienter quoque contractis; sicut etiam in contrahendis, ubi rationalis et legitima causa concurrat, *in casibus occultis,* et etiam in publicis, quando recursus ad Episcopum est difficilis.» De re hac dubium ingeri haud raro posse videtur ex eo, quod impedimentum huiusmodi, materialiter quidem spectatum, sit publicum, formaliter autem inspectum, non ita: quippe cognoscatur quidem affinitas, sed impedimentum ex eadem oriri, saepe admodum rudis plebs plane ignoret.

De connubiorum in radice convalidatione.

XI. Coniugiorum in radice factam instaurationem quod attinet, geminum Missionariis haud raro dubium occurrit. Alterum respicit modum, quo intelligi debeat sanatio ista in radice. Alterum vero spectat illud, quod cum Benedicto XIV docere videntur theologi (v. Perrone de sanat. matrimonii in radice), non sanari in radice nisi eorum connubia « quorum consensus, ob latens vitium, nullus ac irritus fuerit. » Ergo ne, aiunt, haud sanabilia fuerint in radice connubia eorum qui in regionibus hisce, non ita pridem cum schisma vigeret, tametsi nossent Goanis Presbyteris omnem ademptam fuisse iurisdictionem, matrimonia tamen inibant, vel coram eis ubi Tridentina Synodus promulgata censetur, vel facta ab eisdem super impedimento quopiam dispensatione?

XII. Plures in hac regione, non ita pridem, fuere qui postquam cum omnimoda consensione matrimonio copulati fuissent, coniugium dein pertaesi, libentissime ab eo resiliissent, si coniugium ipsum, intrusi Presbyteri causa, ab initio invalidum fuisse novissent. Huiusce generis connubiorum, coniuge alterutro, sin minus expresse, at certe interpretative in connubium haud assentiente, poterit ne radix sanari?

XIII. Dubium Vicariis apostolicis aliquando obversatum est, utrum eam, quae eis facta fuerat connubia radicitus instaurandi potestatem, Missionariis aliis delegare possent an non?

XIV. Quindecim abhinc annis, Durandus coram Goano Presbytero, tunc temporis iurisdictione carente, consobrinam uxorem duxerat, quacum aliquot menses cohabitarat; cum improba femina ita eum deseruit, ut nunquam amplius ad eum reverti voluerit; hodie vero in insula Taprobana, et ut verisimile est, concubinatu deducta immoretur. Quinto a contractis cum ea nuptiis circiter anno, Durandus Vicarii apostolici Madurensis iurisdictionem sectari coeperat, quin tamen connubium eius validaretur; quod sane communi validatione fieri non potuisset. Uxor enim ad maritum redire nolebat; maritus vero, si prioris vinculi nullitatem vel suspicatus fuisset, novas inire nuptias protinus postulasset, nedum priores firmare penitus renuisset. Interim tamen, anno scilicet 1860, Vicariis apostolicis connubia invalide copulata coram Goanis Presbyteris, a schismatis ortu ad occasum, in radice sanandi facta potestas est. Et anno 1863 Commissarius apostolicus decretum edidit, quo connubia inita penes Goanos schismaticos, usque ad collatam Goano antistiti peculiarem in regiones hasce iurisdictionem, radicitus sanabantur. Post haec omnia, Durandus, qua de causa non novi, in spem erectus, fore ut de novo ineundo connubio non amplius sibi abnuatur, enixe rem denique tandem, anno 1867, rogare coepit.

CASUUM RESOLUTIONES

Ad I. Verba quae impedimentis irrite derogatum iri significent, si aliter quam praescribi videtur actum fuerit, nulla penitus continet clausula quam casus commemorat. Ea igitur ad dispensationis validitatem haudquaquam requiri dicenda est. Hoc ipsum Sacra Congregatio P. F. docuerat Vicarium apostolicum Cocincinae an. 1804. Quid ergo de rei liceitate? Anno 1806 quaesitum est ab eadem Sacra Congregatione num menti satisfieret Sanctae Sedis solo dispensationis in commentariis adnotato concessu? Responsum est affirmative «quoties iis cum quibus dispensatur, saltem oretenus, exprimatur dispensationem concedi, dummodo mulier rapta non fuerit, in potentia raptoris non existat, ac praeterea talem dispensationem concedi auctoritate apostolica, ac specialiter ad hoc, vel illud tempus delegatum.» Ex quibus sane dubium oboritur num revera peccare censendi simus, si *raptam*, ut supra, commemorare omittamus, vel alia reticuerimus, quae exprimenda dicuntur. Primum quod attinet, negativum responsum vero similius apparet, excepto casu quo de raptu suspicio saltem habeatur. Alias enim raptus commemoratio, cum nihil prodesset, tum audientium risum plerumque moveret. Alterum vero quod spectat, officio quadantenus deesse putaverim Missionarium dumtaxat, qui praedicta nullatenus exprimat, cum dispensationem impertitur Christifidelibus Ecclesiae legum ignaris adeo

ut Presbyteros vel Episcopos iure proprio impedimentis huiusmodi derogare arbitrentur. Rerum enim decens ordo requirit ut Christifideles supremam Pontificis, in Ecclesiae statuta, iurisdictionem haudquaquam ignorent.

Ad II. Non solum species et quidem infima, puta, num affinitas sit ex copula licita vel ex illicita, honestas ex sponsalibus vel ex matrimonio rato; sed etiam numerus impedimentorum, e. g. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex, aut multiplex consanguinitas, aperiatur necesse est cum dispensationem fieri postulatur. De hisce nemo dubitat. Num vero haec omnia sub poena nullitatis factae dispensationis revelare oporteat, an non? Speciem infimam impedimenti quod spectat, uno ore omnes affirmant. Numerum vero quod attinet, sic S. A. l. 16. n. 1138. « An si quis habeat plura impedimenta affinitatis eiusdem gradus, puta, si cognoverit duas sorores suae sponsae, debeat in supplicatione dispensationis utramque copulam exprimere? Negant Vega, Henriquez, Ledesma etc. Sed probabilius affirmat Sanchez, Pontius, Salmanticenses, Scand. etc. Ratio quia in simplici non comprehenditur mistum, et licet haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Et de hoc hodie non amplius dubitandum; nam sic omnino tenendum esse declaravit Bened. XIV in brevi *Etsi matrimonialis*. Et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicae honestatis etc. » Quae vero S. A. citat ex Bened. XIV. (l. c. §. 1.) sic se habent: « Matrimo-

nialis causa ita decisa fuit, quod nimirum matrimonium huiusmodi irritum ac nullum esset ac foret, atque adeo dissolvendum, ea praesertim ratione, quod super impedimento duplicis quarti gradus consanguinitatis inter unam et alterum intercedente, haud satis atque idonee derogatum fuisset in dispensatione impertita per apostolicas in forma Brevis litteras. » Constat itaque Henrico ratio, et danda secundum ipsum lis est. Iis autem quae Briseus de facta super mistum gradum (qui sane confundi non debet, prout vel ab ipso S. A. quandoque factum aspicis, cum gradu multiplo) dispensatione scite loquitur, addidisse fortasse iuvabit quae S. A. docet l. 6. n. 1136. « An possit manifestari remotior gradus consanguinitatis vel affinitatis, reticendo propinquiorem? Affirmant Sanchez, Pontius et Salmant. Idque inferunt ex quodam motu-proprio S. Pii V ubi dictum fuit, quod dispensatio sine gradus propinquioris mentione obtenta (nempe si sponsi sint coniuncti in quarto vel tertio gradu), *de subreptionis vel obreptionis vitio notari non possit, obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori.* Unde dicunt quod huiusmodi litterae (quibus declaratur quod gradus propinquior non obstat matrimonio) requiruntur tantum in foro externo ad vitandum scandalum, non vero si scandalum absit. Hinc contra Conr. et Contin. Tourn. qui dicebant matrimonium esse nullum sine praefatis litteris, declaravit Ben. XIV in Brevi *Etsi matrimonialis* dato 27 Septembris 1755 (at in hoc Brevi ne verbum quidem de re hac. Fortasse S. Alphonsi mens

fuit citare decretum aliud, quod super ea quae Brevi praefato constituuntur editum est ab eodem Summo Pontifice et quidem ipsissima, quam S.A. erronee assignat Brevi *Etsi matrimonialis* die 27 nimirum, cum breve hoc editum fuerit die 30), matrimonium esse quidem illicitum, sed non invalidum, modo propinquitas non sit primi et secundi gradus affinitatis, vel consanguinitatis. Praeterea recte advertit Contin. Tourn. quod in gradu misto exprimi debet sexus, qui est in primo gradu, quia difficilius conceditur, ut nepos ducat amitam quam patruus ducat neptem, maior enim perversio ordinis est, ut nepos constituatur suae amitae caput. » De re hac nonnulla addere praestat ex Sanchezio de matr. l. 8.

« An si duo sint duplici titulo coniuncti in eodem vel diverso gradu, sit utriusque coniunctionis mentio necessaria: v.g. sunt ex parte utriusque parentis coniuncti in secundo gradu, idest, *primos hermanos por dos partes,* vel ex uno parentis latere sunt coniuncti in secundo gradu, et ex altero in tertio vel quarto, vel sunt affines duplici titulo, ut quia contrahens rem habuit cum duabus personis consanguineis intra secundum gradum alterius contrahentis, vel duplici titulo contraxere cognationem spiritualem, ut si alter alterius duos filios baptizavit, vel ex sacro fonte levavit, aut tenuit in confirmatione, vel eumdemmet filium ex sacro fonte levavit, et in confirmatione tenuit, vel alter fuit mutuo patrinus filii alterius, vel duplici ex parte habent impedimentum publicae honestatis, quia contraxit ma-

trimonium ratum validum cum duplici cognata intra quartum gradum eius cum qua vult contrahere, vel duo sponsalia valida cum duabus eius sororibus ex dispensatione pontificia. Aliqui censent satis esse absolutam gradus illius propinquioris mentionem, non explicata multiplicitate eiusdem vinculi... Ducuntur quia ubi uterque ex utroque latere consanguineus est, unicum est consanguinitatis vinculum, nec inde gradus hic recipit augmentum... Secundo quia irregularis eo quod saepe celebrarit excommunicatione innodatus non tenetur in dispensationis impetratione mentionem facere multiplicis celebrationis, et habens rem cum sorore feminae ducendae non tenetur multiplicem copulam narrare..... Tertio quia ex actionibus unius speciei in eodem subiecto, unum numero accidens consurgit, ut constat in productione plurium albedinis graduum in eodem subiecto... Quarto quia natus ex duplici adulterio coniugati cum coniugata, non tenetur in legitimationis impetratione utrumque vitium exprimere, sed satisfaciet narrans se ex coniugato et soluta natum esse...» Disp. 24. n. 4.

« Ceterum dicendum est necessariam mentionem multiplicitatis eiusdem gradus vel diversi in consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione spirituali, in omnibus exemplis numero praecedenti initio propositis, ne subreptitia sit dispensatio... Ducor quia in odiosis mistum non comprehenditur sub simplici..... Et confirmatur, quia duo caloris gradus solo numero distincti, quamvis in eodem subiecto producti uniantur, et

fiant unus numero calor ratione unitatis subiecti, et multo intensior est duplicatus ille calor, et difficilius tollitur... Secundo... quia dum v. g. consanguinitas ex duplici parte consurgit, tunc non est unica ac unius sanguinis communicatio, sed est duplex duplicisque sanguinis vere participati a duobus diversis... Et similiter quando contrahitur duplex affinitas cum eadem femina ex duplici copula habita cum duabus eiusdem consanguineis, tunc non datur simplex eorumdem seminum commistio. Et similiter in cognatione spirituali et publica honestate multiplicatis, augetur id attinentiae vinculum consurgens ex diversis omnino causis, ratione diversarum personarum, vel ratione eiusdem personae ex distincto omnino ministerio circa Sacramenta diversa. Ergo utriusque coniunctionis est mentio facienda. Tertio quia illegitimus ex adulterio coniugati cum coniugata, subreptitiam impetrabit dispensationem solum unum adulterium narrans, et sic legitimatio irrita erit nisi utriusque parentis adulterium narret.» Disp. 24. n. 5.

« Quamvis autem dispensatio in aliquo coniunctionis gradu non extendatur ad coniunctionem duplicatam ex utroque parente; at potestas dispensandi in aliquo coniunctionis gradu concessa extenditur ad eum gradum licet duplicatum. Quia dispensatio, tamquam odiosa, est restringenda, potestas autem dispensandi tamquam favorabilis extendenda... Ita Calderinus... Rota volumine 3. libro 1. decisione 117. et l. 2. dec. 70. etc.» (n. 9).

« Quando esset commissio ad dispensandum in gradu certo cum determinata persona non ad pe-

titionem ipsius, sed in ipsis dispensaturi favorem concessa extenderetur ad eumdem gradum multiplicatum » (n. 9). Cuius sane rei rationem reddit disput. 4. n. 6. « Ratio differentiae est quod in posteriori casu sit beneficium ac privilegium activum illius qui dispensaturus est, et in eius gratiam confertur: quare ac beneficium principis late exponitur. At in priori est privilegium passivum ipsius cum quo dispensandum est, utpote in eius favorem concessum. Quare non est tam dispensandi facultas, quam quasi dispensatio in esse producta solam exequutionem expectans.»

« At hic cui potestas data est dispensandi in certo gradu, ut in secundo, non posset si illi adiunctus quoque esset alius gradus quamvis inferior. Ut si contrahentes sint coniuncti in secundo et tertio etiam gradu. Quia secundus gradus est genus ad eumdem gradum multiplicatum: at non est genus ad secundum et tertium. Et quamvis potens dispensare in secundo gradu possit a fortiori in tertio tamquam in minori, at nequit quando uterque gradus in eodem reperitur. Quia multo maior est quam secundus solus, nec comprehenditur sub secundo tamquam sub genere. An autem potens dispensare in secundo gradu et etiam in tertio consanguinitatis; vel in secundo consanguinitatis et in secundo affinitatis, possit quando uterque gradus in eodemmet concurrit, pendet ex illa quaestione quam discussi disp. 2. n. 27 et 28. an potens legitimare adulterinum et incestuosum, possit eundem utroque vitio affectum, et iuxta diversas sententias ibi relatas est sentiendum. »

Unde de legitimandi facultate (disp. 3. n. 29.) ait: « Intellige tamen hanc sententiam (quod nempe simplex continet mistum) quando in favorem legitimaturi conceditur haec facultas legitimandi; secus quando in ipsius legitimandi favorem. »

« Ultimo deducitur, quid dicendum sit in ea celebri quaestione, an potens ex privilegio legitimare adulterinum et incestuosum, possit quando utrumque vitium in eadem persona concurrit. Quidam negant: id probant primo ex l. vim passam 39. verb. praescriptione, ff. ad l. Iuliam de adulterio ibi, (praescriptione quinque annorum crimen incesti iunctum adulterio non excluditur). Ubi Glossa, verbo iunctum, ait separatum tolli, ut expresse habetur l. mariti, 29. versic. hoc quinquennium, ff. eodem tit. Secundo ex l. adeo vero cum quis, ff. de acquirendo rerum dominio, ubi habetur id, quod missum est, diversam per se speciem constituere. Tertio, quia potestas legitimandi non est favorabilis, sed odiosa. Quod ex eo constat, quod princeps protestetur se nolle hanc potestatem exercere, ne delinquendi ansa praebeatur, §. finali, auth. quibus modis naturales efficiantur sui. Cum ergo transeat in delegatum cum omnibus suis qualitatibus (ut notatur leg. Pomponius decimatertia §. *cum quis adminiculo*, ff. de acquirenda possessione) erit quoque odiosa in persona delegati. Quarto quia, concesso minori non censetur maius concessum, capitulo *porro, de privileg.* at natus ex adulterio, et incestu simul, odiosior est nato ex altero solo. Nam duplex funiculus strictius ligat, c. *primo de treg. et pace.*

Et confirmatur, quia gravius punitur committens adulterium cum incestu, l. adulterium cum incestu, in principio, ubi Bart. ff. ad l. Iul. de adult. Quinto, quia legitimatio numeratur inter Principi reservata, §. finali, auth. quibus modis naturales efficiantur sui, quae nunquam in generali concessione comprehenduntur, nisi exprimantur, c. quod translationem, de off. deleg. »

« Quamvis autem haec sententia valde probabilis, contrariam probabiliorem reputo esse. Ducor quod in materia favorabili sub simplicibus contineatur casus mistus ut docet Bart. l. Gallus etc. Potestas autem legitimandi et dispensandi inter odiosa et restringenda numeratur, quando in tertii damnum pullulat... Ut si cognatis haereditatem defuncti intestati iure optimo petentibus, esset legitimatio facienda » disp. 2. n. 28.

« Intellige tamen hanc sententiam quando in favorem legitimaturi conceditur haec facultas legitimandi; secus quando in ipsius legitimandi favorem » ibid. n. 29.

Haec tamen omnia intelligi debent ex iure, ut ita dicam communi, atque seclusa S. Sedis, pro locorum, vel temporum, vel personarum adiunctis, peculiari de huiuscemodi rebus ordinatione.

Ad III. Dispensationum frequentiam quod attinet, nihil est cur mireris. Oritur eius necessitas ex minuta et articulosa tribuum divisione. Cum enim indicae societatis adiunctis probe spectatis, sperari nequeat fore ut passim, vel saltem non raro admodum, qui eadem tribu non sunt, connubio invicem copulentur, necessè penitus est

ut saepius in regionibus hisce, quam alibi, dispensationes fiant super speciei cuiusvis impedimenta, ne tribules a matrimonio cum tribulibus impediantur. Quod sane si indicae gentis mores experientia nescieris, difficile forte probaveris, sed facillime ratum habueris, si ut par est, Indorum in ora coromandelica usus et indolem noveris.

Oratorum pertinaciam quod spectat, causam penitus sufficientem ex ea saepe progigni dispensationi perspicies, si animadvertas, eos qui hanc praestolantur fere semper sponsorum esse parentes aut cognatos, qui si quod postularint haud consequantur, metus reapse sit ne vim unà omnes sint illaturi sponsis, ut invicem absque dispensatione iungantur; vel etiam id rei volentibus aliis, aliis nolentibus, merito timeatur ne animo invicem distrahantur; vel denique alia ratione turbas citaturi praevideantur. Quae sane omnia satis superque ad duo illa referri vel saltem illis aequari videntur, quae inter alias impedimenta consulto tollendi causas, censentur; inimicitiarum scilicet sedationem, et christianas virtutes in coniuge alio haud sanguine iuncto, forte non reperiendas.

Ad IV. Incestum quem sponsi invicem perpetrarint, non ea tamen mente ut facilius dispensationem consequerentur, aperiri oportere ad dispensationis eiusdem validitatem, non constat. Quemadmodum enim nullo prorsus decreto huiuscemodi quaestio soluta est, ita Doctores de re hac invicem dissident. Equidem S. Alphonsus Benedicti XIV auctoritate moveri videtur ut affirma-

tivam propugnet sententiam. At geminum, quod ex eodem affert argumentum rem minime conficit. Quod enim Summus Pontifex hoc ipsum asserere videatur, sed obiter, nulla dissidentium Auctorum iniecta mentione, nulla rationum hinc inde facta pensitatione, haud consona Lambertinii ingenio et consuetudini ratione interpretari videtur quisquis ita intelligat, ut eo ipso litem plane ab eo dirimi voluisse arbitretur. Quod vero Summus Pontifex const. *Pastor bonus* (§. 41.) Poenitentiario maiori potestatem faciat instaurandi connubia, quae, silentio pressa sponsorum invicem copula incestuosa, contracta fuerint cum impedimentorum aliorum dispensatione, reipsa nihil est. Istiusmodi enim rei congruunt, quae in causa prope simili (q. can. 183.) Benedictus XIV docet et ad Missionariorum aures perpetuo inclamari deberent: « In omnibus exemplis, in quibus Summi Pontifices absolverunt a poenis... Summi Pontifices petitis ad abundantiam absolverunt... At ab his argumentis deduci non potest, ad declarationem nullitatis matrimonii. » *Ad abundantiam* vero sic Summi Pontifices et Sacrae Congregationes in huiusmodi rebus aliisque, responsa non raro tradunt, gemina praesertim de causa. Primum: ut anxietatibus medeantur eorum qui trepidatione sese aliter expedire nequaquam valerent. Alterum vero, ne ei quae Romanae Sedi, tempore quovis, in more fuit sapientissimae oeconomiae (qua citra necessitatem vel controversias definiri, vel DD. catholicorum libertatem imminui non solet) contraria ratione se gerant.

Occulta alia impedimenta quod spectat, Poenitentiariae loco habetur ipsum poenitentiae tribunal, in quo sane, vel Missionarium quempiam, vel saltem Missionis Praesulem adire queant sponsi, ut quae aliter aperire verentur impedimenta retegant atque dispelli poscant.

Ad V. Tametsi quae ad primum capitis sexti casum ediximus, ea plane sint quibus casus istius solutio patescere valeat; non abs re tamen erit nonnulla praeterea disputare. Et primo quidem miramur Missionarium, qui diu admodum in regionibus hisce moratus fuerit, quaestionem hanc perinde ac futilem aspernari. Fratrum enim filios saepe admodum filias sororum uxores ducere, nemo nostrum ignorat. Qui vero anceps animo haerebat de huiuscemodi re Missionarius, ideo dubitabat quod, vel rem suapte natura incertam esse putabat, vel opinioni suae male fidebat. Si primum, impedimentum censere debuisset incertum, ideoque vel nullum, vel tale cui posset Episcopus derogare. Si alterum, probatos Auctores attente legere, et se ipso doctiores studiose consulere plane debuerat, antequam de quaestione Romam mittenda consilium iniret. Vix enim, ut arbitror, periculo vacare potest quaestionis cuiuspiam ad Sacras Congregationes facta delatio, quin re mature prius perpensa, conatus omnes ad eam rite solvendam adhibiti fuerint. Qui inter eos, quos casus commemorat consobrinos, non simplicem sed multiplicem esse contendit cognationis gradum, parentum cognationem in prolem descendere ait. Quod sane firmat adagium

nupta genus mutat, sed generata gradum. Distinctione tamen utamur necesse est; descendit enim in prolem cognatio dumtaxat, qua parentes non invicem, sed cum aliis coniungebantur, antequam invicem nuptias inirent, cui sane cognationi nullatenus impedimenti ratio sublata est ope dispensationis coniugibus factae ad matrimonium invicem ineundum. Constat itaque ratio iis, qui nonnisi simplicem cognationis gradum consobrinorum de quibus est casus, connubio obesse arbitrantur. Falluntur tamen et ipsi, saltem in eo, quod cognationem dispensatione depelli autumcnt; quae cum naturae intime inhaereat, dispensationis ope impedimenti quidem rationem amittit, sed esse plane non desinit. Quamobrem tametsi coniuges facti sint una caro, cognationem tamen intensive maiorem in prolem derivant ea, quam communicarent si consobrini haudquaquam fuissent. Cur ergo non dimensive? Quia nulla penitus ratio esse videtur, cur una eademque de causa, canonico simul atque naturae iure, uno eodemque modo, connubii constituatur impedimentum. Vel si ratio ista cuipiam minus probetur, is aliam habeat ex eo deductam, quod in impedimentis, quae iuris sunt positivi, nonnisi lex perspicue data ac promulgata, impedimentum statuere valcat.

Ad VI. Casus iste prima fronte spectatus, ad copulam revocari videtur, sponsos inter exercitam, ob dispensationis facilius obtinendae spem. Quam sane spem, etiamsi a sponsorum alterutro solum conceptam, necessario exprimendam esse tradunt DD. ut dispensatio valide concedatur. Mos

est enim Ecclesiae, ut difficilius, si spes huiusmodi copulam fuerit comitata, dispensatio concedatur, ne veniae facilitas, peccati sit incentivum. Quare cum dispensatio in huiusmodi rerum adiunctis conceditur, solito duplex imponi suevit oratoribus poenitentia. Vid. Conr. de disp. l. VIII ubi post ea quae compendio hic tradimus addit: « Quod si dispensatio haec petitur in forma pauperum, tunc per ipsum executorem, seu delegatum pariter duplicatur poenitentia publica eisdem oratoribus iniungenda, praeter poenitentiam iam a Papa duplicatam impositam, circa collationem operae oratoris; nam cum in multis locis consuevit ipsis iniungi, ut unica vice, die dominico seu festivo, manere debeant ante fores Ecclesiae matricis seu parochialis oppidi, seu patriae ipsorum oratorum; hic erit eis iniungendum ut per duas, aut tres vices id faciant. » Attamen in casu proposito, sin minus semper, at certo saepe accidit, ut connubio inito, puella, utpote menstrua purgatione nondum laborans, remittatur parentibus, donec in ea nubilitatis signum appareat. Copula ergo, quae impedimentum addat, nulla intercedit. Quod sane prodest, ut dispensationis faciendae difficultas quadantenus minuatur. Remanet ut inquiramus, quodnam impedimentum afferat dispensationi connubium clanculo initum? Et quidem ante Concilium Tridentinum id causae erat, cur facilius fieret dispensatio. Postmodum vero ex ipsa Syn. sess. 24. de reform. matrim. id rei causa factum est, cur perdifficile sit obtineri dispensationem. « Si quis intra gradus prohibitos scienter matri-

monium contrahere praesumpserit, separetur, et spe dispensationis careat, non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere contempsit.» Quae sane tanti ponderis sunt, ut docente Sanchez lib. 3. disp. 45. sub n. 3. si Summus Pontifex absque iustissima causa emergenti dispensaret, letaliter delinqueret (V. Con. de disp. l. 8. c. 3.). Quaestio est inter DD. num decretum istud respiciat dirimentia quaevis impedimenta, vel consanguinitatem dumtaxat et affinitatem. Propugnant illud non pauci. Pluribus istud probatur, quod sane rationi consonum saltem esse videtur ex eo, quod decretum mentionem iniiciat dumtaxat de gradibus prohibitis. Post haec Clem. V c. *Eos* de cons. et aff. excommunicationis poenam ipso facto incurrendam, eisdem indixit. En decreti verba: « Eos qui divino timore posthabito, in suarum periculum animarum, scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonia non verentur; nec non religiosos ac moniales et clericos in sacris ordinibus constitutos, refrenare, metu poenarum, ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, eos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere....... donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quaeque iuribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari. » Deinde Clemens VII praelaudatum Clementis V decretum haud

satis malo mederi perspiciens, suam edidit a. 1304 constitutionem *Quia plerumque*, ubi inter alia haec loquitur: « In posterum cum illis, qui in gradibus prohibitis matrimonia scienter contraxerint, etiamsi illa consummaverint, non intendimus dispensare; sed illa scandalis, quae oriri posse formidaretur, minime attentis, omnino separari mandabimus, absolutionem dumtaxat petentibus misericorditer concessuri, cum gratia dignus non sit, qui canonum conditorem contemnit (profecto sermo, ut patet, non est de rudibus Indis, qui canones et canonum auctorem, vel ignorant, vel nimis parum cognoscunt), illique cum animae suae detrimento iniuriam facit. » Tandem Paulus IV a. 1555 speciatim gradum secundum attingens, const. *Ab ea ipsa* sic loquitur: « Cum a nonnullis annis citra introductum sit, ut qui matrimonium in secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu contrahere anhelant, scientes se dispensationem a Sede Apostolica super huiusmodi matrimonio contrahendo obtinere non posse, sub fiducia illam super eodem matrimonio, postquam contractum fuerit, reportandi, matrimonium ipsum de facto contrahant, et carnali copula consumment, excommunicationis sententiam in Conc. Viennensi contra matrimonia in gradibus prohibitis scienter contrahentes promulgatam, damnabiliter incurrendo, et deinde sub praetextu, quod si divortium fieret, gravia exinde inter eos et eorum consanguineos et affines, scandala possent verisimiliter exoriri, et mulier perpetuo diffamata remaneret, absolutionem necessariam et dispen-

sationem opportunam, quasi sibi debitas, concedi expostulent, sicque absolutionem et dispensationem, quas alias non obtinerent, eo praetextu, ut plurimum, reportent in scandalum plurimorum; nos considerantes, praemissa causam tribuere delinquendi, et incestum committendi, ac ex delicto, loco poenae, commodum et appetitus satisfactionem reportari, malitiis hominum occurrere volentes, per has nostras omnibus innotescere volumus, quod nos... absolutionis et dispensationis huiusmodi ex praetextu praedicto, etiamsi proles ex matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico, et a iure considerata, per nos tantum et non alium, approbanda concedemus, et quod dispensationes ex alia causa nostris temporibus perpetuo exulabunt; quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicantes. »

Huc usque relata sponsos ipsos respiciunt, qui sub spe veniae in gradibus prohibitis matrimonium inierint. At in regione hac, sponsis plerumque vim quamdam inferunt, vel saltem veri nominis metum incutiunt parentes atque cognati, ut eos ad connubium clandestine ineundum perducant; ita quidem, ut veniae spes non sponsos, sed cognatos alliciat. Quod sane id esse arbitramur, cuius gratia Vicarius apostolicus rigoris aliquid, sponsos quod attinet, merito saepe remittat; quamvis eidem officium sit, ea qua poterit severiori agendi ratione, animadvertere in eos, qui iussione, consilio et huiusmodi aliis, sponsos ad crimen patrandum impellere sunt conati. Quam-

vis enim consulentes excommunicationi subiectos fuisse non arbitremur, quidquid ex quibusdam Pii V literis et canone quopiam, contrarium inferri videatur (V. Conr. de disp. l.VIII. c. 3.), gravis tamen piaculi reos evadere, et nisi graviter et notorie puniantur, pravo aliis exemplo facillime futuros, indubia res est. — At censura praefata ob incestum sublata est per constit. *Apostolicae Sedis* a felic. reg. Pio IX. editam.

Ad VII. Etiamsi Vicarius ipse contubernium intercipi plane iussisset, dispensatio tamen irrita habenda non esset, nisi cum Praesul expresse sub separationis huiusmodi conditione, impedimento derogatum iri statuerit. Secus enim honestatis causa dumtaxat hoc ipsum requisitum fuisse, merito arbitraremur. Criminis iteratio genus impedimenti non mutat. Sive igitur ante, sive post dispensationis executionem, ad vomitum sponsi redierint, id eiusdem validitati obesse non poterit.

Ad VIII. Profecto quid causae fuerit, cur Sancti Alphonsi sententia auctoritateque, se tutos haud arbitrarentur Vicarii apostolici, satis non patet, nisi, vel quod Episcopis, idest Ordinariis, licere dicitur, in huiusmodi re, Vicariis apostolicis nefas esse putarint; vel aliter quam in eleemosynis erogandis multas, de quibus est casus, impendere in animo habuerint. Plenius tamen, ut arbitror, casum resolvunt ea, quae in responso ad casum IV modo proponebamus.

Ad IX. Missionarius, de quo et a quo est casus, Sponsos in bona reliquit fide, praesertim ea nixus ratione, quod verisimile prorsus non esset, errorem

communem schismatis, illis praesertim initiis, fuisse nullum, cuius gratia Ecclesia supplere censeri posset iurisdictioni, qua Presbyteri intrusi carebant; ac ideo matrimonium, de quo casus loquitur, irritum esse non adeo certo liquere videretur, ut Missionario onus incumberet, coniuges ad nuptiarum instaurationem iterum accersendi. Post haec radicitus restituta fuerunt connubia quaeque, schismatis causa irrite celebrata. Quare in praesens saltem, nihil amplius est, cur Missionarius angatur. At finge neutrum istorum suppetias ei tulisse. Quid agere debuisset? Si grave incommodum pertimendum non erat ex instaurato coram Presbytero et testibus rursus connubio, ad id quamprimum coniuges evocandi fuissent; quin tamen necesse fuerit, eosdem de initi matrimonii invaliditate monere. Satis enim superque fuisset, si Missionarius eos ad se arcessitos coram duobus testibus, de consensu rogasset et accepto responso, dimisisset. Quod si grave prorsus incommodum ex ea re formidabatur, coniuges in bona relinquere fide praestabat, precibus interea pro eis ad Deum sedulo fusis.

Ad X. Occultum impedimentum hic dici putarim, quod ita se habet, ut si consueta et ordinaria ratione dispensationem fieri super illo postularetur, ad Sacram Poenitentiariam delatum iri contingeret. Atqui Sancto Alphonso docente (l. 6. n.1111.) « Aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit viciniae, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc

etiam potest impetrari dispensatio a Poenitentiaria.

Ad XI. Primum quod casus enucleandum proponit, explanari contendunt alii irritatione directa, atque retroactiva effectuum impedimenti. Quod sane probare non valeo, nisi confeceris, fieri plane posse ut connubium revera valide initum fuerit, quod reapse invalide initum est. Afferunt alii fictionem iuris, qua Legislator veluti sistitur matrimonio, cum primum initum est, ut ei vim impertiatur. Optime sane: interim tamen connubium invalide primo se habuit. Plures vero contendunt radicitus factam connubii restaurationem, legis impedimentum constituentis, abrogationem in casu speciali subaudire, sicque constituere satis esse, ut ostendatur quid instauratio istaec suapte natura sit. Mihi tamen rem minime probant; abrogatio enim impedimenti in praesens facta, causae esse non potest, cur antea, cum nimirum connubium contraheretur, lex plane non esset. Fortasse litem facilius diremeris si statueris, Legislatorem, cum primum impedimenti legem constituit, in mente habuisse, ut lex ipsa nequaquam attingeret eos, quibus futurum esset, ut dispensatio in radice tempore quovis rite concederetur. Quae sane mens cum Legislatori inesse potuerit, tum revera fuisse, praxis ipsa radicitus dispensandi, quae aliter probe explanari non posset, demonstrari videtur.

Alterum quod casus evolvi postulat, ad unguem ita intelligere non debemus (prout alibi ediximus resol. ad cas. I. cap. 3.), ut mala coniugum fide,

quoad connubium, insanabilem reddi putemus huiusce radicem. Secus enim dispensationes radicitus factae, saltem tum cum in universum omnibus impertiuntur qui invalide certa de causa connubium inierint, haud paucis, immo fortasse plerisque nihil prodessent. De hoc tamen ne cogitatum est quidem, sive iampridem in Galliis, cum matrimonia rebellionis tempore invalide copulata, radicitus dein instaurata fuere, sive novissime in Indiis, cum huiusce generis dispensatio in universum quibusque, qui schismatis partes sectati, connubia irrite inierant, impertita est. Quamobrem quae casus, quoad rem hanc, enodanda proponit, plane explanare videtur geminum illud, quod Bened. XIV (q. can. et mor. 174.) commemorat. Nimirum « in copula manifeste fornicaria, nulla est radix matrimonii. » Ergo radici nullam medelam afferre est. Insuper, ut radix, si qua fuerit, matrimonii restaurari valeat, oportet sponsos « ad tempus initi matrimonii... se tractasse tamquam veros coniuges. » Ex quibus sane consequitur, ut si vel nonnisi contubernium extiterit, vel ideo connubium initum sit, ut connubii species contubernium tutaretur, radix quidem connubii nulla penitus sit, quae sanetur; si vero sponsi in animo habuerint, veri nominis matrimonio invicem copulari eo meliori modo quo possent, tametsi vitium eiusdem plane noverint, radix tamen connubii non deerit, cui remedium adhibeatur. Idem statuendum, ut patet, de coniugibus, qui cum clandestine nupserint in locis illis, in quibus Tridentina Synodus promulgata non est, tametsi falso

arbitrati matrimonio se irrite iungi, connubium tamen ea qua possent firmiori ratione contrahere deliberarint ac constituerint.

Ad XII. Ne expressus quidem dissensus, nedum interpretativus, connubiorum radicitus factae restaurationi suapte natura impedimentum afferre potest. Quod sane ex eo communiter inferunt, quod huiusmodi convalidatio vitium auferat, quo connubium inficiebatur, cum primo initum est. Luculentius autem id rei patere videtur ex ea, qua huiusce generis sanationem modo explanavi ratione. Ne mireris itaque Bened. XIV in radice quandoque firmasse connubium, de cuius invaliditate sententiam a iudice ferri, coniugum alter expostulabat. Quod iterum aliquando perfecit Pius VI, cum uxor probe noscens impedimento irrite derogatum fuisse, de assensu in connubium rursus praebendo prorsus abnueret. Quod sane tametsi passim fieri non debeat, praesertim si coniux uterque dissentiat, causae tamen cur fiat quandoque est litium et scandali periculum aliter subeundum. Quare ut in praxi casum resolvas, periculum istud impendat nec ne, probe perpendas necesse est. Et quidem periculum istud non raro subest. Attamen si rerum adiuncta ita plane se habeant, ut ex connubii restauratione magis quam ex eiusdem irritatione, imminere periculum videatur, prout in casu iam iam resolvendo (cas. XIV) contigisse videtur, connubium in radice sanari nunquam debuerit. Quamobrem quoties aliter sese res habeat, coniugum dissensus instaurationi radicitus perficiendae, nequaquam obesse dicendus est.

Ad XIII. Delegatus quempiam subdelegare valet dumtaxat, quatenus ad universitatem causarum, vel a Principe Summo per modum officii, delegationis iure fruatur. Atqui Vicarii apostolici ad universitatem causarum, quae ad Episcopos iure ordinario in dioecesi pertinent, et ad instar Ordinariorum a Principe Ecclesiae Summo Christi in terris Vicario, quidquid iuris habent delegationis vi consequuntur. Ergo quae Ordinariorum officium spectant subdelegare quidem potuerint, non vero ea, quae officio ipsi antecellunt, cuiusmodi est impedimentis derogationem faciendi potestas. Quod sane firmari videtur exemplo Vicarii a Parocho nondum sacerdote instituti, qui potestatem sibi delegatam et Parochi officium ordinaria ratione spectantem dumtaxat subdelegare permittitur. Ius igitur connubiorum radicem sanandi, Vicarii Missionariis subdelegare nequeunt, sicuti nec possent alia plurima, quae ordinaria Episcoporum potestate non continentur, nisi specialis ad id rei facta esset eisdem potestas. Ceterum Romana Sedes, ut dubium omne, quoad huiusmodi rem, auferat, libellum tradere consuevit Vicariis, in quo cum iura omnia eisdem concessa, tum quaenam ex illis cum Presbyteris aliis communicare valeant, adnotantur. Connubia in radice sanandi potestas inter postrema haec censeri non consuevit.

Ad XIV. Dispensatione in radice, Durandi connubium haudquaquam firmatum esse, ex eo mihi probatur, quod tametsi is matrimonio interpretative dumtaxat dissentiretur (neque enim coniugem si reversa fuisset, recipere recusabat), uxor

tamen, eo ipso, quo ad maritum reverti nolebat, connubio formaliter dissentiri eo tempore visa est, quo connubia radicitus sanabantur. Quamvis enim vero similior appareat Doctorum illorum sententia, qui volunt in radice sanari posse connubia, dissentientibus etiam expresse coniugibus, qui ab initio consenserint; attamen oppositam plures propugnant sententiam, et nonnisi perraro sanationes huiusmodi a Summis Pontificibus factas fuisse, nec non urgentem peculiari ratione causam ad eas requiri, nemo inficiatur. Atqui non solum urgens ad nuptias Durandi sanandas causa nulla penitus erat; sed gravissima rationum momenta, ne sanatio fieret postulabant. Etenim sanatio, quemadmodum frustra facta fuisset, praesertim quia proles legitimanda non erat, ita in perniciem cessisset Durando plane gravissimam, utpote cui sanatio uxorem non restaurasset, et feminam aliam ducendi impedimento fuisset. Ergo Pontificis Delegatum ea mente fuisse, ut vel huiusce generis matrimonia in radice sanare vellet, nulla prorsus ratione censere licet.

CAPUT VIII.

DE MATRIMONII USU.

CASUS

I. Anguntur quandoque Missionarii de agendi cum Indis ratione, connubii usum quod attinet. Hinc enim suspicantur, imo fere certo se nosse putant, coniuges saepe admodum in re hac, effreni prorsus libidine, atque effusa licentia, sibi quaeque permissa arbitrari; inde vero quomodo de huiusce generis culpis interrogandi atque monendi sint Indi isti haud perspicue constare queruntur.

II. Madurius sterilem uxorem pertaesus, vix unquam ab ea debitum repetebat. Quamobrem cum uxor petere nunquam auderet, matrimonii iura iamdudum invicem coniuges non amplius exercebant. Haec omnia sat clare innuebat Madurius inter faciendam conscientiae exomologesim; noverat quoque Confessarius Madurii uxorem animi aegritudine, non minus quam corporis aegrotatione iamdudum tabescere, ideoque non poterat quin suspicaretur, mariti in eamdem studium nimis exiguum causam esse cur mulier languesceret. In huiuscemodi rerum adiunctis qua ratione Madurius monendus esset, anceps animo Confessarius haerebat.

III. Virginius, quinque abhinc annis connubium inierat, quin tamen eodem vel semel usus fuisset, propterea quod invincibili quadam repugnantia ab uxoris congressu abhorreret. Missio-

narius, cui consilii petendi causa Virginius rem aperuerat, interrogavit, num antea Confessario cuipiam rem palam fecisset an non? Respondit iste, uxorem penes Missionarios conquestam esse quidem de mariti fastidio, se tamen a nemine ex eis de huiuscemodi re unquam interrogatum fuisse; sponte autem ne rem aperiret verecundia prohibitum esse.

CASUUM RESOLUTIONES.

Ad I. Quae in re hac Missionariis prodesse queunt, ad praecipua quaedam capita revocata brevissime commemorabo.

I. Tametsi ab Innoc. XI diris devotae fuerint propositiones 8 et 9 quae opus coniugii pariter et comedendi actum, ad solam voluptatem exercita licere docebant, sedulo tamen advertas necesse est, *agere propter delectationem, et agere propter solam delectationem*, duo esse quae invicem valde discriminantur. Cum enim postremum istud ulteriorem finem omnino respuat (quod sane vix unquam in praxi contingit, cum actus suapte natura honestus elicitur; quis enim adeo humanitatem exuerit, ut bonum qua tale explicate nolle, malum autem expresse velle conetur?), ideoque inordinationem praeseferat; prius illud negative dumtaxat excludit finem altiorem, seu quod idem est, de nobiliori scopo non cogitat. Atqui delectatio « quae consequitur bonas et appetendas operationes, bona est et appetenda (S. Th. contra gent. l. 3. c. 26.); quod sane con-

venit cum ordine naturae » (ibid. n. 7.). Re sane vera temperantiae virtus in eo est, non quidem ut delectatio arceatur omnino, sed ut in medio constituatur. Ergo ad honeste capiendam connubii delectationem satis est ut, generali quodam conceptu, actus ex quo gignitur delectatio, percipiatur ut licitus. Nec enim ut actio quaevis ordini congruat « oportet quod intentio actualis ordinans in finem ultimum, sit semper coniuncta cuilibet actioni, quae dirigitur in aliquem finem proximum; sed sufficit quod aliquando actualiter omnes illi fines in finem ultimum referantur; sicut fit quando aliquis cogitat, se totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc enim quidquid ad seipsum ordinat, ad Deum ordinandum erit » S. Th. 2. dist. 40. q. 1. a. 5.

II. Matrimonii finis est etiam concupiscentiae mederi, ut patet ex Paulo 1. ad Cor. VII. 1. 5. 9. et quidem eo libidinis actu, sexus nempe utriusque coitu et commistione, quo effrenior alius vix concipi potest « quia enim carnalis concupiscentia adhuc post baptismum in fidelibus remanet,..... instigat homines maxime ad actus venereos, propter vehementiam delectationis. Et quia maioris virtutis est totaliter hanc concupiscentiam superare, quam possit omnibus convenire.... necessarium est quod in parte concupiscentiae cedatur, et in parte superetur; quod quidem fit, dum actus generationis ratione ordinatur » S. Th. lect. 1. in cap. 7. ep. 1. ad Cor. Quin imo docente Chrysostomo (l. de virg. c. 19.) finis iste medendi libidini temporibus hisce praecipuus est « Cum liberorum procreandorum causa proditum est matrimonium,

tum multo magis ad naturae ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur dicens: *Sed propter fornicationem, suam quisque uxorem habeat,* non propter liberorum procreationem.»

III. Tactus impudicos, eosque secutam pollutionem quod attinet, pauca haec adnotabo. « Sat communis opinio actus huiusmodi excusat ab omni culpa, etiam in petente, si pollutio non intendatur, nec adsit periculum consensus in eam, et modo adsit gravis aliqua causa, v. g. ad fovendum mutuum amorem, aut ad avertendum alterius zelotypiam... Probabiliter in reddente, tactus impudicos (nisi sint tales, qui videantur inchoata pollutio) esse licitos, quamvis adsit periculum pollutionis in alterutro, quia tunc reddens, dat operam rei licitae» S. Alph. l. 6. n. 934. Quibus sane consonant, quae docet Diana (tom. 2. tract. 6. res. 205). « Communiter notant Doctores cessante in utroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritum mortaliter, si coeptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur, modo id faciat uxore consentiente, aut non rationabiliter invita. Imo si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. gr. ob paupertatem ac multitudinem prolis; et nihilominus concubandi ad sedandam concupiscentiam, omnem culpam abesse, si mutuus consensus accedat.... Unde non erunt damnandi, etiam de culpa veniali, coniuges infirmi, qui ad sedandam concupiscentiam inciperent copulam, et voluntarie illam minime perficerent, et hic casus frequenter accidere potest. » Quo sane modo concupiscentiam sedare fas esset, etiam coniugibus, qui ob

affinitatem ex crimine contractam, coniugio uti prohibiti essent. Tandem accipe casum quem Diana proponit: « Quidam inchoabat copulam cum uxore, et postea ob morbi periculum ex eius consensu se retrahebat; verum ex hoc aliquando sequebatur pollutio. Quaesitum a me fuit an talis actus esset licitus? Respondi affirmative: quia non est peccatum dare operam rei licitae et actioni honestae, quamvis praevideatur secutura pollutio, dummodo absit periculum consensus, ut erat in casu de quo interrogatus fui; quia tunc pollutio non est in se volita, ut supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non teneor illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa.» Nec dicas huiusmodi enuntiata et sententias haud amplius verisimiles apparere, ob datum a Sacra Poenitentiaria responsum a. 1847 quo declaratur, absolvi non posse neque mulierem « quae pateretur quidem virum, si recte ageret in copula coniugali, vehementer autem desiderat, ut se retrahat vir, quia prolem habere formidat » neque mulierem aliam « quae in copula coniugali posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non se retraheret, et non facit, quia illa copula sibi displicet » in hisce enim pollutionem, vel saltem proximum eius periculum haberi, et tamen parvi fieri subauditur. Re sane vera, quemadmodum coniuges plerumque ne cogitant quidem de re hac, pollutione nec praevisa, nec in votis habita, ita huiuscemodi declaratio refertur ad quaestiones circa onanismum propositas. Quamobrem, generale istud principium statuere est: praeter inordina-

tionem, quae est contra naturam, pollutionem nimirum, in se vel in causa volitam, vix aliquid inter coniuges quoad hoc intercedere posse, quod gravis culpae certe damnari queat.

IV. Ex quibus omnibus, praxim quod attinet, sponte consequitur: primo quidem quod nisi poenitens dubia iniiciat, vel saltem dubitandi occasionem suppeditet, nihil omnino de rebus hisce interrogemus oportet. Deinde: si poenitens dubia solvenda proponat, vel dubitandi occasionem praebeat, satis superque fuerit novisse, an copula extra vas perfecta sit an non. Etenim « vulgatissima est Doctorum sententia, tum periculum scandali, quod Confessarius sibi nec non poenitenti aliisque (quippe non raro poenitentes de dictis et interrogationibus Confessariorum cum aliis loquantur) parere potest; tum etiam reverentiam Sacramento debitam, efficere debere, ut etiamsi forte timeat, ne satis integra ob tacitam aliquam circumstantiam confessio evadat; tamen in materia adeo per se turpi ab ulterius inquirendo per interrogationes abstineat; in necessariis vero utatur iis verborum formis, quae quam decentissimae habeantur. Meminerit insuper Confessarius imprudentem, hac de re, importunum ac inverecundum loquendi modum, non raro iustam dedisse causam, non solum male de ipso suspicandi, sed etiam cum penes ordinarios iudices denunciandi, quasi in actu Confessionis, ut ait Greg. XV (in const. *Sollicitantes*) *turpes habuerit sermones;* et quidem iudices tum in eos qui ex malitia, tum in eos qui ex mera imprudentia sic deliquerint, animadvertere consuevisse » Ballerini ad G. n. 912.

V. Hic tamen dubium menti fors obversatur. Indi enim, tametsi vix unquam a Confessariis sciscitaturi sint, quid in huiusmodi re fas plane fuerit, quidve nefas, dubitandi tamen occasionem ex eo ipso suppeditare videntur, quod ad luxuriam proni adeo sunt, ut haud immerito de eis saepissime dicas, *sicut equus et mulus quibus non est intellectus*. Quid ergo interrogandi fuerint? Equidem perinde ac falsa, plus aequo laxa, et in praxi periculosa, non ita pridem a Sacra Inquisitione damnata fuit propositio, quae sic se habebat. « Nunquam expedit interrogare in hac materia utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur, ne coniuges sive vir sive uxor abutantur matrimonio. » Dubium tamen ob inconcinnos Indicae gentis mores in universum occurrens, eiusmodi esse non arbitror, cuius causa de connubii usu in confessione poenitentes interrogare, vel teneamur ullatenus, vel expediat. Verisimilius enim apparet, homines rudes quod attinet, in huiusmodi re deordinationem, si qua fuerit, pari plerumque passu cum bona incedere fide. Speciale igitur indicium quodpiam requiri dicendum est ut ad quaestiones de rebus hisce in confessione movendas plane teneri nos arbitremur. Quod si defuerit, virum rogabis nunquam. Eum enim in bona versari fide si cogites, quorsum ex ea miserum exturbaveris? Si vero dubium id rei tibi sit, interrogatio tua vel noxia facile evadet, si in bona scilicet ille fide versetur, vel inutilis si in mala; noxam quippe celare in animo habeat. Sic plures quaestioni huic responsum praebent, sed postrema

responsi pars mihi non undequaque probatur. Etenim dilemma istud eludi plane videtur multorum exemplo, qui vel bona sunt fide, sed periculo plena, vel mala quidem, sed revelare se ipsos parati, dummodo Confessarius vel tantillum interroget. Viros vix unquam de huiuscemodi re interrogandos, facilius ex eo inferri crediderim, quod viri connubii usum renuendo rarius omnino quam mulieres, spiritualis ruinae causam coniugi afferre solent, et valde minus pudore afficiantur; ideoque Confessariorum opitulatu minus profecto indigeant. Uxorem quod attinet « Confessarius in mentem revocet adagium illud, *sancte sancta tractanda esse,* atque etiam verba perpendat Sancti Alphonsi de Ligorio, viri docti et harum rerum peritissimi.» Sic Sacra Poenitentiaria ad quaesita: « An coniuges de onanismo se non accusantes considerari possint tamquam in ea constituti bona fide, quae a gravi culpa eosdem excuset? Et: an probanda sit agendi ratio Confessariorum, qui ne coniuges offendant, illos circa modum quo iuribus matrimonii utuntur non interrogant? » S. Alphonsus vero a S. Poenitentiaria citatus, praxi Conf. §. 4. tria docet. Primum: circa peccata coniugum, respectu ad debitum coniugale, ordinarie loquendo Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores an illud reddiderint, modestiori modo quo possit. Secundum: plerumque uxores de hoc interrogandae sunt, quia multoties hoc solo damnantur ipsae et mariti. Postremum: interrogatio ut plurimum omittatur cum uxoribus, quae vitam spiritualem profitentur. Quibus libenter addam,

putandum non esse, in Europa dumtaxat contingere, quod secundo loco proponitur. In hisce enim regionibus haud raro nuptae mulieres difficiles adeo se praebent atque morosas, ut revera maritos istiusmodi agendi ratione in salutis discrimen adducant. Ceterum quid causae sit, cur uxores magis quam mariti in huiusmodi re interrogandae dicantur, supra innuimus. Nimirum dubium esse non potest, quin uxores, etiamsi ceteroquin in bona fortasse versentur fide, sibi, renutu, virisque haud leve profecto periculum afferant. Quamobrem quemadmodum eas sciscitari magis quam viros, rationi consonum est, ita Missionariorum eorum agendi ratio, qui interrogata muliere, num pax et concordia domi vigeat an non, si ea negative responderit, continuo de coniugali debito quaerere consueverunt, commendanda videtur. Insuper uxores admodum difficilius quam viros de re hac sponte quidpiam ore proferre nota res est. Quare vel eas ipsas, quae forte in mala versantur fide si tantillum excusseris, perinde ac obviam eis factus saepenumero a sacrilegii patrandi periculo arcueris.

VI. Quo plenius rem conficiamus, superest ut geminum solvamus dubium, quod ex huc usque dictis oboritur. Primum, quaenam habeatur honesta quaepiam de huiusce generis foeditate quaerendi ratio? Deinde: an non Indos etiam, saepe admodum, onanismo peccare, ideoque de ea re interrogandos esse arbitremur?

Ad 1. Inquirendi modum quod attinet, trina, eaque satis honesta, ratione, modo linguam re-

gionis sat probe calleas, res perfici potest. Prima est, ut uxores generatim interroges num viris, prout par est, obedierint an non? Honestissima sane rogandi ratio, sed indarum mulierum ruditati quandoque non satis accommodata. Altera: ut scisciteris, num in iis quae coniugium attinent, viro ut par est obedierint? Feminas tamen quae rusticitate plane laborant, vix clare satis interrogaveris, nisi quaesieris, num ea quae coniugii sunt, petente viro, praestare renuerint? quae sane postrema est de re inquirendi ratio. Hic tandem te monitum velim, ea non raro Indos laborare animi mollitia ut in contumeliam et offensionem huiusce generis interrogationes facillime vertant; nec non, eo cautiorem in huiuscemodi re sciscitanda te esse oportere, quo iunior fueris.

Ad 2. Multo minus profecto in hisce Indiae plagis, quam in Europa, onanismo peccari putarim. Ea est enim prolis, utcumque numerosae, generatim cupiditas, ut revera praecipuam, ne dicam unicam, quae onanismum alibi parit causam, fere omnino deesse dixeris. Quod si perraro quandoque in huiusmodi re a gente quoque nostra peccari contigerit, memineris quod S. Poenitentiaria docuit a. 1823 et 1842; uxorem nimirum quae a marito minis adacta peccatum permittat seu permissive se habeat ad id quod improbe operatur maritus, insontem esse, dummodo virum moneat. Ceterum de re hac, nisi interrogati fuerimus, percontari nihil fas esse, ideo docemur, quod periculum scandali ex ea re formidandum appareat, ita quidem, ut praestet interrogationes omittere, quae

aliunde necessariae videri possint, potiusquam periculo se obiicere rem sciscitandi cum id rei necessitas haudquaquam requirat.

VII. Pro coronide sint quae Gobatius docet (exper. theol. tract. 10.) de responso faciendo mulieri, quae mox nuptura, atque de omni peccato in coniugalibus officiis vitando valde sollicita, Confessarium ea de re interroget. Quae sane addam, sin minus ut sciscitanti respondeas, vix enim unquam fortasse in regionibus hisce rogaberis, at certe, ut novum in promptu habeas criterium, quo de uxorum bona in huiuscemodi rebus fide iudicium feras. « Si eiusmodi puella habeat matrem superstitem, bonis verbis iubeatur genitricem interrogare potiusquam Confessarium (aut etiam alias feminas, utcumque consanguineas, addit Burgheber).... Si careat matre, aut prae verecundia non audeat interrogare, dicatur ei, ut suo marito tanquam suo capiti obediat etiam in illis rebus; si hic forte petat aliquid, de quo ipsa dubitet, an sit licitum, deprecetur verecunde; si deprecando nihil efficiat, idcirco quod maritus asserat, se iam nosse quid permittant leges connubiales, tunc obediat, certa se non offensuram Deum, dum in dubio paret marito tanquam superiori, proxima deinde occasione quaerat ipsa ex Confessario, utrum id in quo obedivit, licitum sit coniugibus nec ne.»

Ad II. Utique anceps animo tunc haerebat; sed eum postea valde poenituit, quod Madurium uxore saepius admodum uti, districtius haudquaquam iussisset. In iis enim quae casus aperit re-

rum adiunctis, officium plane mariti fuerit, quemadmodum ut uxoris animum levare conniteretur, ita ne, libidinis causa, periculum ea subiret, debitum coniugale ab eadem saepius repetere.

Ad III. Virginii morbum ne quaeso mireris. Eum Stoici iamdiu vocarant μισογυνειαν, idest a mulieribus aversationem (Tuscul. 4. §. XI). Virginii curationem quod attinet, primo vix fieri potest, ut in iis quae casus commemorat rerum adiunctis, uxoris querelae ad Missionariorum aures per cognatorum quempiam vel saltem per rumorem passim percrebrescentem, haudquaquam perveniant. In casu proposito mulieris conquestus iamdudum sane innotuerat, nec tamen rei prospectum erat. Caveat Missionarius ne querimonias in huiusmodi re temere excludat. Equidem circumspectione res summopere indiget; attamen Missionarius, qui vel rem contemnit, vel ea, qua par est dexteritate et solertia, rei prospicere non conatur, officio graviter plane deesse dicendus est. Nec mihi suasum fuerit, Confessarios penes quos peccati sarcinam deponebat Virginius, ea quae sui muneris erant satis implesse, quin tamen eorum nemini innotesceret unquam pernicie plenus Virginii error. Confessariorum enim cuique, qui S. Francisci Xaverii monito morem gerens, non tam ingentem peccata fatentium numerum expedire, quam eorum quibus aurem praebet morbos probe novisse et curare in animo habeat, difficile, opinor, non fuerit, Virginii morbum detegere. Quod sane de Confessariis in universum, quibus se sistere consuevit Virginius noster dicere est; eos vero spe-

ciatim, qui tametsi uxorem iamdudum de viro conqueri noverint, a Virginio tamen de re inquirere parvi fecerint, officio graviter haud defuisse, quo pacto constituam plane nescio. Re enim subodorata, nedum cognita, vi omni et ope suadendum erat Virginio, ne reluctantiae se victum daret, sed animum strenue vinceret et prout par erat, debito erga uxorem facere satis viribus omnibus conaretur. Id ei, non solum ceu virtuti consonum ostendendum, sed etiam perinde ac status obligationem plane spectans districte quoque iubendum fuerat.

INDEX RERUM

DE MATRIMONIO.

CASUS ET RESOLUTIONES

Pag.	ERRATA	CORRIGE
11	Resileat	Resiliat
18	Valeant	Valerent
50	resolutiones	sanationes
53	si sui copiam alteri faciat	qui sui copiam etc.
65	interpellationem, ut par erat... iussisse	interpellationem aut dispensationem, ut par erat... curasse
85	maritus ethnicus... potuisset	maritum ethnicum... potuisse
107	missa praefata lege	missa praefata legi
108	consuetudo non ita	consuetudo non vigeat
109	benedictionem eiusdem	benedictionem eisdem
135	h	h'
142	Minateiae	Minatciae
155	Rabidus enim... affirmavit. Geminus vero	Rabidus... affirmavit; Geminus vero
159	et *itus* ac *reditus*	et *itus* semper ac *repetitus*
193	Vincentium...	Vincentiam
254	studio ducantur merito nec ne dubitemus	studio ducantur nec ne merito dubitemus
308	l. 16	l. 6.
313	sed in ipsis dispensaturi	sed in ipsius dispensaturi.
314	Unde de legitimandi	Tota sententia delenda est, quippe repetatur p. 316.
333	ad Deum ordinandum erit S. Th.	ad Deum ordinatum erit.S.Th.

ERRATA CORRIGE

quoad figuras,

In figura I omissa est linea verticalis qua indicitur A parentem habere R.

In figura II omittitur R qui parens est M.

In figura IV quod scribitur S scribi debet S1 et vicissim. Pm scribe pm

In figura V *bis et tertio* pro sponso pone sponsam et vicissim·

In figura VIII *bis* omissa est linea verticalis qua indicari deberet h2 esse filium D.

In figura XII omissum est M parentis G

Hoc opus constat 4 Vol. et venit Lib. 14.

SUB PRAELO EIUSDEM EDITORIS TAURINENSIS

COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

EX OPERE MORALI

SCAVINI, GURY ET CHARMES

CONCINNATUM

ET AD SENTENTIAS CONSTITUTIONIS

APOSTOLICAE SEDIS

AC SACRARUM CONGREGATIONUM RECENTIORUM DECISIONUM REDACTUM

A FR. GABRIELE DE VARCENO

ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM
SACRAE FACULTATIS LECTORE

EDITIO SECUNDA ACCURATIUS EMENDATA ET AUCTA.

Questo novissimo compendio di Teologia che sta scrivendo in Roma il ch. Autore, formerà un bel volume in 8° gr. di circa 600 pagine e si pubblicherà nel prossimo mese di Settembre.